



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

Liber Sextus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12945**

M. FAB. QUINTILIANI  
DE  
INSTITUTIONE ORATORIA  
LIBER SEXTUS.

*Prooemium, in quo de fortuna sua queritur.*

**H**ÆC, Marcelle Victori, ex tua voluntate maxime ingressus, tum si qua ex nobis ad juvenes bonos pervenire posset utilitas, novissime pene & necessitate quadam <sup>1</sup> officii delegati mihi, sedulo laborabam, respiciens tamen illam curam meæ voluptatis, qui filio, cujus eminens ingenium, sollicitam quoque parentis diligentiam merebatur, hanc optimam partem relicturus hæreditatis videbar: ut si me, quod æquum & optabile fuit, fata interceptissent, præceptore tamen patre uteretur. <sup>2</sup> At me fortuna id agentem diebus ac noctibus festinantemque metu meæ mortalitatis, ita subito prostravit, ut laboris mei fructus ad neminem minus quam ad me pertineret. Illum enim, de quo summa conceperam, & in quo spem unicam senectutis meæ reponebam, <sup>3</sup> repetito vulnere orbitatis amisi. <sup>4</sup> Quid nunc agam? aut quem ultra esse usum mei diis reprobantibus credam? Nam ita forte acci-

**I**Doneo loco conquestionem ponit calamitatis suæ. est siquidem hoc libro potissimum de *affectionibus* acturus. Prooemium igitur continet *Fabii conquestionem*, quod orbarus sit duobus liberis & uxore, estque totum *patheticum*. Turneb.

<sup>1</sup> *Officii delegati.*] Quia Domitianus imperator Quintiliano commiserat curam nepotum sororis suæ, quemadmodum dixit Fab. l. 4. hæc igitur propositio complectitur *causas* quibus est adductus ut de *institutione oratoria* inscriberet. *Idem.*

<sup>2</sup> *At me fortuna.*] *Antithesis* est, quæ habet amplificationem calamitatis ex frustratione finis. *Idem.*

<sup>3</sup> *Repetito vulnere.*] Nam prius filium quinquennem amiserat, deinde amisit Quintilianum decennem. *Idem.*

<sup>4</sup> *Quid nunc agam?*] Explicata orbitate affectus movet, atque ex calamitatis occasione indignam comminiscitur & confingit causam. nam existimat opera sua mortem attulisse liberis, quod eo tempore quo scribebat perierint. *Idem.*

accidit, ut eum quoque librum, quem *de causis corruptæ eloquentiæ* emisi, jam scribere aggressus, simili ictu ferirer. Tunc igitur optimum fuit, infaustum opus, & quicquid hoc est in me infelicitium literarum, super immaturum funus consumpturis viscera mea flammis injicere, neque hanc impiam vivacitatem novis insuper curis fatigare. <sup>1</sup> Quis enim mihi bonus parens ignoscat, si studere amplius possum? ac non oderit hanc animi mei firmitatem, si quis in me est alius usus vocis, quam ut incusem deos, superstes omnium meorum? nullam terras despiciere providentiam tester? si non meo casu, cui tamen nihil objici, nisi quod vivam, potest: at illorum certe, <sup>2</sup> *quos utique immeritos mors acerba damnavit*: erepta mihi prius eorundem matre, <sup>3</sup> quæ nondum expleto ætatis undevicesimo anno duos enixa filios, quamvis acerbissimis rapta fatis, felix decessit. Ego vel hoc uno malo sic eram afflictus, ut me jam nulla fortuna posset efficere felicem. <sup>4</sup> Nam cum omni virtute quæ in fœminas cadit, functa, insanabilem attulit marito dolorem: tum ætate ea puellari præsertim meæ comparata, potest & ipsa numerari inter vulnera orbitatis. <sup>5</sup> Liberis tamen superstibus oblectabar: & quod nefas erat, <sup>6</sup> sæva, <sup>7</sup> sed optabat ipsa, me salvo maximos cruciatus præcipiti via effugit. Mihi filius minor quintum egressus annum, ut in malis agerem, prior alterum ex duobus eruit lumen.

Non

<sup>1</sup> *Quis enim.*] Confirmat quod nuper dixit, ab aliorum judicio, indeque ducit affectum: ac demum ut Epicureus negat dei providentia mundum gubernari, alioqui enim non esset orbatus liberis. *Idem.*

<sup>2</sup> *Quos utique immeritos mors acerba.*] Vide Plin. lib. 5. Epist. 5. Jan. Gebhard. p. 29. ad illud Tibulli lib. 1. Eleg. 3. v. 55. Papinio Statio eleganter dicitur *truda mors*, lib. 9. Thebaid. v. 380. & 716. Vide Virg. l. 4. Æneid. v. 696.

<sup>3</sup> *Quæ nondum expleto atatis undev.*] Vide M. Ant. Mureti Var. Lectio. l. 18.

cap. 20. pag. 1221. Lamp. Critic. Part. 2.

<sup>4</sup> *Nam cum.*] Commemorat uxoris dotes & virtutes, ut majorem inde efficiat calamitatem. est etiam *pathos* ab ætate. *Turneb.*

<sup>5</sup> *Liberis tamen superstibus.*] In hunc locum vide Muretum jam ante citatum.

<sup>6</sup> *Sæva.*] An *seva*? *Pith.*

<sup>7</sup> *Sed optabat ipsa, &c.*] Commemorat *pium uxoris affectum*, quæ ante maritum mori optabat. ipse quoque mutuum reddit, atque ita oratio *pathetica* est & *moralis*. *Turneb.*

I Non

Non sum ambitiosus in malis, nec augere lacrymarum causas volo: utinamque esset ratio minuendi. Sed dissimulare quæ possum, quid illi gratiæ in vultu, quid jucunditatis in sermone, quos ingenii igniculos, quam præstantiam placidæ, & (quod scio vix posse credi tantum) altæ mentis ostenderit? qualis amorem quicumque alienus infans mereretur. Illud vero insidiantis, quo me validius cruciaret, fortunæ fuit, ut ille mihi blandissimus, me suis nutricibus, me aviæ educanti, me omnibus qui sollicitare solent illas ætates, anteferet. Quapropter illi dolori, quem ex matre optima, atque laudem omnem supergressa, paucos ante menses ceperam, gratulor. Minus enim est quod flendum meo nomine, quam quod illius gaudendum est. Una post hæc Quintiliani mei spe ac voluptate nitebar: & poterat sufficere solatio. Non enim flosculos, sicut prior, sed jam decimum ætatis ingressus annum, certos atque deformatos fructus ostenderat. Juro per mala mea, per infelicem conscientiam, per illos manes numina doloris mei, has me in illo vidisse virtutes ingenii, non modo ad percipiendas disciplinas, quo nihil præstantius cognovi, plurima

1 Non sum ambitiosus in malis.] Hac prolepsi deprecatur quod objici poterat. ceterum ambitiosus dicitur in malis, qui suas calamitates magnopere exaggerat, more nimirum ambitiosorum, qui ditiores aut fortunatiores haberi volunt. Idem.

2 Sed dissimulare.] Commemoratis filii virtutibus, majorem quoque movet affectum. hic autem locus est ab indole futuræ virtutis. Idem.

3 Ingenii igniculos.] Alludit ad dogma Platonicum. Plato enim existimat nostris animis insitos esse igniculos ac semina virtutum, scientiarumque omnium: idque fusc probat in Menone. Idem.

4 Quam præstantiam, &c.] Dan. velut substantiam: alii, præsubstantiam. Pith.

5 Tantum.] Alii, Jamtum.

6 Ostenderint.] Murerus, ostenderet.

7 Qui.] Dan. Quæ.

8 Quam quod illius.] Propterea quod antea defuncta fuerat, nec aliquem ex interitu filiorum senserat dolorem. Turneb.

9 Una post.] Alia est commemoratio calamitatis, quæ amplificatur ex filii laude ab attributis personæ petita. Idem.

10 Deformatos fructus.] Venustissima est metaphora, deformati enim appellantur fructus, cum delapso flore formati apparent, & (ut dicitur) nodati. Idem.

11 Per illos manes numina doloris mei.] Jusjurandum est ad attestationem & asseverationem. jurabant autem antiqui vel per res charas, vel per res invisas. iidem etiam manes, id est, animas corpore liberatas deos esse credebant. Auctor Cicero. Idem.

plurima expertus, studiique jam tum non coacti (sciunt præceptores) sed *probitatis, pietatis, humanitatis, liberalitatis*,<sup>1</sup> ut prorsus possit hinc esse tanti fulminis metus, quod observatum fere est, <sup>2</sup> *celerius occidere festinatam maturitatem*: & esse nescio quam quæ spes tantas decerpit, invidiam, ne videlicet ultra quam homini datum est, nostra provehantur. <sup>3</sup> Etiam illa fortuita aderant omnia, *vocis jucunditas claritasque, oris suavitas, & in utracunque lingua*, tanquam ad eam demum natus esset, *expressa proprietates omnium literarum*. Sed hæc spes adhuc: illa majora, *constantia, gravitas*, contra dolores etiam ac metus *robur*. Nam quo ille animo, qua medicorum admiratione, mensium octo valetudinem tulit? ut me in supremis consolatus est? <sup>4</sup> quam etiam deficiens, quamque non tunc ipsum illum alienatæ mentis errorem <sup>5</sup> circa solas literas habuit? <sup>6</sup> *Tuosne ego, ô mea spes inanes labentes oculos, tuum fugientem spiritum vidi? Tuum corpus frigidum exangue complexus, animam recipere, auramque communem haurire amplius potui?* dignus his cruciatibus quos fero, dignus his cogitationibus. <sup>7</sup> Tene consulari nuper adoptione

1 *Ut prorsus possit.*] Videtur alludere ad *Catonis apophthegma*. dicit enim senilem pueritiam indicium esse præproperæ mortis. cuius rei Fab. affert causam nimis impiam, vulgarem tamen, quod scilicet deus hujusmodi præstantiæ invideat. Idem.

2 *Celerius occidere festinatam matur.*] *Catonis* est apud *Plin.* lib. 7. *Senilem juvenam præmaturæ mortis signum esse.* Et *Præcoces fructus raro ad maturitatem perveniunt.* *Pith.*

3 *Etiam illa fortuita.*] Præter ingenium, quod utile est ad percipiendas disciplinas, in eloquentia opus est quibusdam adjumentis naturæ, quas omnes habebat dotes ejus filius. hinc igitur auguratur futuram eloquentiam si superstes fuisset. *Turneb.* *Etiam illa fortuita aderant.*] Vide *Lud. Cresollium Vacat. Autumnal.* lib. 2. cap. 7. sect. 1. p. 212. &c.

4 *Quam etiam deficiens, quamque, &c.*] *Muretus* elegantius: *Quam etiam deficiens, jamque non noster ipsum illum, &c.* Significat eum jam in potestate mortis fuisse.

5 *Circa solas literas.*] Mirum est fingnum futuræ eruditionis. nam cum ex vi morbi pateretur delirium, cæterarum rerum præterquam *literarum* est oblitus. *Turneb.*

6 *Tuosne ego.*] *Apostrophe* est ad pathos, estque mortis significatio ab accidentibus. porro alludit ad quorundam philosophorum opinionem, qui animam crediderunt esse aërem quendam & spiritum quo totum corpus foveretur. *Imitatio* est *Cic. in oratione pro Milone.* Idem.

7 *Tene consulari.*] Duplex potest esse sensus, aut quod re vera à quodam consule adoptatus esset: aut certe per *metaphoram* hoc de *Quintiliano* est intelligendum, qui consulum est adeptus. quamquam

ptione ad omnium spes honorum patris admotum, te avunculo prætori generum destinatum, <sup>1</sup> te omnium spe Atticæ eloquentiæ candidatum, superstes parens tantum ad pœnas, amisi? Et si non cupido lucis, certe patientia vindicet te reliqua mea ætate. <sup>2</sup> *Nam frustra mala omnia ad crimen fortunæ relegamus. Nemo nisi sua culpa diu dolet.* Sed vivimus & aliqua vivendi ratio quærenda est: <sup>3</sup> credendumque doctissimis hominibus, qui unicum adverforum solatium *litteras* putaverunt. Si quando tamen ita refederit præsens impetus, ut aliqua tot luctibus alia cogitatio inferi possit, non injuste petierim moræ veniam. Quis enim dilata studia miretur, quæ potius non abrupta esse mirandum est? Tum si qua minus fuerit effecta iis quæ levius adhuc afflicti cœperamus, <sup>4</sup> imperitiæ aut fortunæ remittantur: quæ si quid mediocrium alioqui nostro ingenio virium fuit, ut non extinxerit, debilitavit tamen. Sed vel propter hos nos contumacius erigamus, quod illam ut perferre nobis difficile est, ita <sup>5</sup> facile contemnere. Nihil enim sibi adversus me reliquit, & infelicem quidem, sed certissimam tamen attulit mihi ex his malis securitatem. Boni autem consulere nostrum laborem <sup>6</sup> vel propter hoc certum est, quod in nullum jam proprium usum perseveramus, <sup>7</sup> sed omnis

hæc

quanquam hoc multis displicet. *Idem. Tene consulari nuper adoptione.*] Vide Jan. Gulielmum Verisimil. lib. 3. cap. 14. pag. 92.

<sup>1</sup> *Te omnium spe Atticæ, &c.*] Gulielm. & Muret. *Te omnium spe acutis eloquentiæ candidatum. Atticæ eloquentiæ.*] In aliis, *Acutæ eloquentiæ* legitur, quæ tempore Fabii regnabat, eratque posita in sententiis argutis & crebris. Sic acumen tribuit Fabio Hieronymus. reprehenditur tamen à Valla, qui Fabium ait non magis acumine quam reliquis excellere virtutibus. Aldus *Atticæ* reposuit. est enim ea eloquentia omnium perfectissima. Turneb.

<sup>2</sup> *Nam.*] Plin. lib. 2. cap. 7.

<sup>3</sup> *Credendumque doctissimis.*] Sic Ci-

cero mortua Tulliola, consolationem à philosophia petivit, ac librum *de consolatione* conscripsit. Turneb.

<sup>4</sup> *Imperitiæ aut fortunæ, &c.*] Legend. *Tum si quæ minus fuerint effecta iis, quæ levius adhuc afflicti cœperamus, fortunæ remittantur. Imperitiæ aut fortunæ.*] Dan. *non imperitiæ, at fortunæ, &c.* Pith.

<sup>5</sup> *Facile contemnere.*] Quia in posterum non poterit lædere fortuna Fabium, cum nihil supersit in quo illum offendat. Turneb.

<sup>6</sup> *Vel propter hoc certum est.*] MS. Codex, *cæcum est.* Muretus & Gulielm. *Æcum est.* Ita enim scribebant, pro æquum: ut acam pro aqua.

<sup>7</sup> *Sed omnis hæc cura ad alienos.*] Jan. Guliel-

hæc cura ad alienos, ut alienis utilis (si modo quid utile scribimus) spectat. Nos miseri, sicut facultates patrimonii nostri, ita hoc opus <sup>1</sup> aliis paramus, aliis relinquemus.

Guilielmus: *Sed omnis hæc cura alienas utilitates, &c.*

<sup>1</sup> *Aliis paramus, &c.* Jan. Guilielm. lib. 3. cap. 14. legend. censet *properaba-*

*mus.* Recte Properasse autem hos Commentarios se metu mortalitatis suæ, ait ipsemet, Fabius hoc ipso proœmio. *Paramus.* Alii, *preparavimus.*

## C A P. I.

## De conclusione, seu peroratione.

**P**ERORATIO sequebatur, quam cumulum quidam, *conclusio-*  
*nem* alii vocant. <sup>1</sup> Ejus duplex ratio est, posita aut in rebus, aut in effectibus. Rerum repetitio & congregatio, quæ Græce dicitur <sup>2</sup> ἀνακεφαλαιώσις, à quibusdam Latinorum *enumeratio*, & memoriam judicis reficit, & totam simul causam ponit ante oculos, & etiam si per singula minus moverat, turba valet. In hac quæ repetemus quam brevissime dicenda sunt, & quod Græco verbo patet, decurrendum per capita. Nam si morabimur, non jam enumeratio, sed altera quasi fiet oratio. <sup>3</sup> Quæ autem enumeranda videntur, cum pondere aliquo dicenda sunt, & aptis excitanda sententiis, & figuris utique varianda: alioqui nihil est odiosius

**H**ermogenes in *lib. de Inventione*, hanc videtur omisisse partem, cum præsertim nullo in loco meminerit: at tamen cum *conclusio* id colligat quod positum est in confirmatione aut confutatione, merito *confirmationis* pars iudicabitur. & alioqui in *lib. de statibus*, inter capita confirmandorum statuum ponit *communem qualitatem*, quæ maxime propria est *conclusionis*. Turneb.

<sup>1</sup> *Ejus duplex ratio est.* Cic. tamen tres efficit partes in *lib. de Inventione*, *enumerationem*, *indignationem*, *conquestionem*: in *Partitionibus* duas, *enumerationem* & *amplificationem*. quæ quidem omnia consentiunt: nam in *amplificatione* moventur affectus: item *indignatio*

& *conquestio* referuntur ad affectum. *Idem.*

<sup>2</sup> *Ανακεφαλαιώσις.* Sic appellatur à Græcis ea pars quæ res per causam dispersas colligit & in summam redigit. nomen habet, ut interpretatur Fabius, quia decurrit per capita, quæ sunt præcipua firmamenta causæ. Primus *anacephalaosin* appellavit Isocrates, Phalereo teste. *Idem.*

<sup>3</sup> *Quæ autem.* Cum in omni oratione fugiendum est illud dicendi genus, ut docebit postea Fabius, quod caret *sebetibus*, tum maxime in peroratione. alioqui enim proditur affectatio repetitionis & diffidentia. Vide Cic. in *1. de Invent.* & in *Partit.* *Idem.*

odiosius recta illa repetitione velut memoriae iudicum diffidentis. Sunt autem innumerabiles: optimeque in Verrem Cicero, *Si pater ipse iudicaret, quæ diceret cum hac probarentur?* & deinde subiecit enumerationem. Aut cum idem in eundem, per invocationem deorum spoliata prætoris templa dinumerat. Licet & dubitare nunquid nos fugerit, & quid responsuri sint adversarii his & his: aut quam spem accusator habeat omnibus ita defensis. Illa vero jucundissima, si contingat aliquod <sup>1</sup> ex adversario ducere argumentum: ut si dicas, *Reliquit vero hanc partem causæ.* aut, *Invidia premere maluit.* aut, *Ad preces confugit.* & *Merito, cum sciret hæc & hæc.* Sed non sunt singulæ species prosequendæ, ne sola videantur, quæ forte nunc dixero: cum occasiones & ex causis, & ex dictis adversariorum, & ex quibusdam fortuitis quoque oriantur. Nec referenda modo nostra, sed postulandum etiam ab adversariis, <sup>2</sup> ut ad quædam respondeant. Id autem, si & actionis supererit locus, & ea proposuerimus, quæ refelli non possunt. Nam provocare quæ desint fortia, non arguentis est, sed monentis. Id unum epilogi genus visum est plerisque Atticorum, & philosophis fere omnibus, qui *de arte oratoria* scriptum aliquid reliquerunt. Id sensisse Atticos credo, <sup>3</sup> quia Athenis affectus

movere

<sup>1</sup> Ex adversario ducere argumentum.] Hermogenes quoque docet illam esse argumentationem firmissimam, quæ ex prætermisissis ducitur. ea etiam locum habet in enumeratione. Idem.

<sup>2</sup> Ut ad quædam respondeant.] Hoc enim ostendet causæ fiduciam: sed tum demum est faciendum, cum quod rogatus solvi non potest, aut post responsionem adversarii locus superest etiam nobis orandi. Idem.

<sup>3</sup> Quia Athenis, &c.] Præsertim apud Areopagitas, qui usque adeo severi fuerunt, ut in tenebris iudicarent, ne misericordia erga reum aliqua moverentur: usque adeo abhorrebant ab omni affectu. Meminit Lucianus in Anachar-

si, cum ait, *ὡς δὲ τις ἢ παροϊμιον ὡς ἔστι λόγος ὡς δυνάστεως ἀπεργάζατο αὐτὸς, ἢ οἰκτον ἢ δεινώσιν ἐξαθεν ἐπιτήρει τὸ πρᾶγμα, οἷα ποῦν ῥητόρων παῖδες ἐπιτὸς δικαστῶν μετὰ νῶνται, παροσελθὼν ὁ κήρυξ κητεσιώπησεν δούτος, σὺν ἑῶν ληρεῖν, ὡς τὴν βυλῶν, καὶ ἀπειπέτειν τὸ πρᾶγμα ἐν τοῖς λόγοις, ὡς γυμνά τὰ γεγεννημένα οἱ ἀρειοπαγῆται βλέπειν.* Quod si quis in auspicanda oratione proæmium ad conciliandos eorum animos aut commiserationem exaggerationemve extrinsecus ductum agenda causæ accommodaret, qualia multa *machinamenta* oratorum natio capiendis iudi-

E c s com



movere etiam per præconem prohibebatur orator. <sup>1</sup>Philosophos minus miror, apud quos vitii est loco, affici: nec boni mores videntur, sic à vero iudicem averti: nec convenire bono viro vitii uti. Necessarios tamen affectus fatebuntur, si aliter obtineri vera & iusta & in commune profutura non possint. Cæterum illud constitit inter omnes, etiam in aliis partibus actionis, si multiplex causa sit, & pluribus argumentis defensa <sup>2</sup> utiliter ἀνακεφαλῶσιν fieri solere: sicut nemo dubitaverit multas esse causas: in quibus nullo loco sit necessaria, si breves & simplices fuerint. <sup>3</sup> Hæc pars *perorationis* accusatori patronoque, æque communis est. Affectibus quoque eisdem fere utuntur: sed rarius hic, ille sapius ac magis. Nam huic concitare iudices, illi flectere convenit. <sup>4</sup> Verum & accusator habet interim lacrymas ex miseratione ejus rei quem ulciscitur: & reus de indignitate calumniæ conspirationis vehementius interim queritur. Dividere igitur hæc officia commodissimum, quæ plerumque sunt, ut dixi, proœmio similia, sed liberiora, plenioraque. Inclinatione enim iudicum ad nos, petitur initio parcius, cum admitti satis est, & oratio tota superest. In epilogo vero est, qualem animum iudex in consilium ferat, & jam nihil amplius dicturi sumus, nec restat quo servemus. Est igitur utrisque commune, conciliare sibi, avertere ab adversario iudicem, concitare affectus, & componere. <sup>5</sup> Et brevissimum quidem hoc præceptum dari utri-

cum animis comminisci solet, exemplo præco prodiens, tacere cum jubebat, non sinens inaniter verba fundere, verborumque involucris, qua de re agitur, implicare, ut nuda aperta que ipsa facta cernere *Areopagitæ* possent. Meminit & Fabius libro quinto initio. & decimo de *Demosthenis Ciceronisque comparatione*. Item Plutarchus. *Idem*.

<sup>1</sup> *Philosophos*.] Vide Aristotelem in principio *Rhetoric*. lib. 1.

<sup>2</sup> *Utiliter ἀνακεφ.*] Commonitio in narratione, de qua Fab. egit lib. 4. per-

quam similis est *anacephalæosi*: est tamen ea usus Cic. in brevissima narratione. *Turneb. Utiliter*.] Alii *viriliter*.

<sup>3</sup> *Hæc pars perorationis*.] Cic. tamen in *Partit.* ea sapius uti *accusatorem* quam *defensorem* ait: quod tamen consentire potest cum præcepto Fabii. *Idem*.

<sup>4</sup> *Verum & accusator*.] Proposita est *iracundia* accusatori, *misericordia* reo: attamen per sæpe mutantur vices, ut accusator *misericordia* utatur, reus *iracundia*. *Idem*.

<sup>5</sup> *Et brevissimum quidem*.] *Idem* sunt loci

utrique parti potest, ut totas causæ suæ vires orator ante oculos ponat: & cum viderit quid *invidiosum, favorabile, invisum, miserabile* aut sit in rebus, aut videri possit: ea dicat, quibus, si iudex esset ipse, maxime moveretur. Sed certius est ire per singula. Et quæ conciliant quidem accusatorem, in præceptis exordii jam diximus. Quædam tamen quæ illic ostendere satis est, in peroratione implenda sunt magis si contra impotentem, invisum, perniciosum suscepta causa est: si iudicibus ipsis aut gloriæ damnatio rei, aut deformitati futura absolutio. <sup>1</sup> Nam egregie in Vatinius Calvus, *Factum, inquit, ambitum scitis omnes, & hoc vos scire omnes sciunt.* Cicero quidem in Verrem etiam *emendari posse* <sup>2</sup> *infamiam judiciorum damnato reo dicit*: quod est unum ex supradictis. <sup>3</sup> Metus etiam si est adhibendus, ut facit idem, hunc habeat locum fortiorem quam in proœmio. Qua de re quid sentirem, alio jam libro exposui. Concitare quoque invidiam, odium, iram, liberius in peroratione contingit: quorum *invidiam* gratia, *odium* turpitudine, *iram* offensio iudicis facit, si contumax, arrogans, <sup>4</sup> securus sit, qui non ex facto modo, dictove aliquo, sed vultu, habitu, aspectu moveri solet. <sup>5</sup> Egregieque nobis adolescentibus dixisse accusator

Cossu-

loci ducendorum affectuum qui & argumentorum. igitur ut *argumenta* ducuntur à *rebus & personis*, itidem quoque *affectus*. intueri igitur circumstantias causæ oportet. Vide item Rodol. Agricolam lib. 3. cap. 1. *Idem.*

<sup>1</sup> *Name egregie.*] Calvus orator qui tempore Ciceronis vixit, Vatinius ambitus accusavit, multasque in eum edidit orationes, quæ maxime probantur, ut ait Cornelius Tacitus. *Idem.*

<sup>2</sup> *Infamiam judiciorum.*] *Act. 2. in Verrem.* Nam vulgatum erat ob corruptelam iudiciorum hominem pecuniosum, etiam nocentem, damnari non posse: quæ infamia emendari poterat, damnato Verre. *Idem.*

<sup>3</sup> *Metus etiam.*] Dupliciter tamen tractatur metus, altero *favorabili modo,*

ut ne porro male sentiat de iudicibus: altero *modo graviore*, ut cum Cicero corruptis iudicibus accusationem minatur, in *eadem secunda actione in Verrem.* De hoc Fabius lib. 4. tradidit. *Idem.*

<sup>4</sup> *Securus sit.*] Sic Cic. *pro Roscio* securitatem Erutii vexat, qui ob potentiam Chrylogoni neminem fore patronum Roscio arbitrabatur. Vel *securum* intellige oscitantem, & causæ suæ nimium confidentem, quia iudex odit litigatoris securitatem. *Idem.*

<sup>5</sup> *Egregieque nobis.*] Significat *arrogantem & impudentem adversarium*, qui nulla Cæsaris reverentia moveretur. Cæterum annotandum est, olim non licuisse vel in senatu, vel in foro Græcam habere orationem: idque primum est permillum Apollonio Moloni, deinde

Cossutiani Captionis videbatur Græce quidem, sed in hunc sensum, *Erubescit Casarem timere*. Summa tamen concitandi affectus accusatori in hoc est, ut id quod obicit, aut quam atrocissimum, aut etiam si fieri potest, quam maxime miserabile esse videatur. <sup>1</sup> Atrocitas crescit ex his, *quid factum sit, à quo, in quem, quo animo, quo tempore, quo loco, quo modo*: quæ omnia infinitos anfractus habent. Pulsatum querimur: de re primum ipsa dicendum: tum *si senex, si puer, si magistratus, si probus, si bene de repub. meritis*. Etiam si percussus sit à vili aliquo contemptoque: vel ex contrario à potente nimium vel ab eo à quo minime oportuit. Et si die forte solenni, aut iis temporibus, cum judicia ejus rei maxime exercerentur, aut in sollicito civitatis statu. <sup>2</sup> Item *in theatro, in templo, in concione*. Crescit invidia <sup>3</sup> & si non errore, nec ira, vel etiam si forte ira sed iniqua, quod patri affuisset, quod respondisset, quod honores contra peteret: & si plus etiam videri potest voluisse quam fecit. <sup>4</sup> Plurimum tamen affert atrocitatis, modus, si graviter, si contumeliose: <sup>5</sup> ut Demosthenes ex parte percussi corporis, ex vultu

inde postea hac patefacta janua, cæteris id licuit. *Idem*.

<sup>1</sup> *Atrocitas*.] Ulpianus *lib. 47. de injuriis*, Atrocem injuriam, quasi contumeliosiore & majorem accepimus. *Atrocem autem injuriam* aut persona, aut tempore, aut re ipsa fieri, Labeo ait. *Persona atrocior fit*, cum magistratui, cum parenti, patronove fiat. *Tempore*, si in ludis & conspectu Prætoris, aut in solitudine facta sit injuria, multum interesse ait. *Re atrociolem* Labeo ait, ut vulnus illatum alicui, vel os percussum. Paulus, *Vulneris magnitudo atrociolem facit injuriam*. Et nonnunquam *locus*, ut oculo percusso. Sed & si in theatro vel in foro cædit & vulnerat, quanquam non atrociter, *atrocem injuriam facit*. *Idem*.

<sup>2</sup> *Item in theatro, in templo*.] MS. *Palat.* elegantius: *Item in theatro, in templo, in concione gliscit invidia*. Et sic,

*etc.* Vide Jan. Gebhard. *Crepund. l. 3. c. 5. p. 112.*

<sup>3</sup> *Et si non errore*.] Nam *error* & *imprudencia* valet ad excusationem & deprecationem: & quæ primis motibus aguntur, minus gravia sunt, quam quæ præmeditato & destinato, ut sunt *error* & *ira*, quæ est motus repentinus, & ut ait Horat. *furor brevis*. Cic. *1. Off.* Leviora sunt ea quæ repentino aliquo animi motu, quam quæ meditata præparataque inferuntur. *Turneb.*

<sup>4</sup> *Plurimum tamen*.] Plurimum potest in illustratione & amplificatione *modus*, teste Hermogene: inde enim fit *δραστικὴ*, quæ rem aperte repræsentat & splendide. Hinc etiam pendet *δένωσις*, quæ est oratio gravitatem & asperitatem rebus addens. *Idem*.

<sup>5</sup> *Ut Demosthenes*.] Cum Demosthenes esset *choragus*, id est, ludorum curator, ipse Liberalibus à Midia cive potente,

vultu ferientis, ex habitu invidiam Midiaë quærit. *Occisus est, utrum ferro, an igne, an veneno, uno vulnere an pluribus, subito, an expectatione tortus*, ad hanc partem maxime pertinet. <sup>1</sup> Utitur frequenter accusator & miseratione, cum aut ejus casum quem ulciscitur, aut liberorum aut parentum solitudinem conqueritur. <sup>2</sup> Etiam futuri temporis imagine judices movet qui maneant eos casus, qui de vi & injuria questi sunt, nisi vindicentur: *fugiendum de civitate, cedendum bonis, aut omnia quacunque inimicus fecerit, perferenda*. Sed sapius id est accusatoris avertere judicem à miseratione qua reus sit usus, atque ad fortiter judicandum concitare. Cujus loci est etiam occupare quæ dicturum facturumve adversarium putes. Nam & cautiores ad custodiam suæ religionis judices facit, & gratiam responsuris aufert, cum ea quæ prædicta sunt ab accusatore, jam si pro reo petentur, non sint nova: ut Servius Sulpitius contra Aufidiam, *ne signatorum ab ipsis discrimen objiciatur sibi, præmonet*. <sup>3</sup> Nec non ab Æschine, quali sit usus Demosthenes actione, prædictum est. Docendi interim quoque judices, quid rogantibus respondere debeant: <sup>4</sup> quod est unum repetitionis genus. <sup>5</sup> Periclitantem vero commendat *dignitas, & studia fortia & suscepta bello cicatrices, & nobilitas, & merita majorum*. Hoc quod proxime dixi, Cicero atque Asinius certatim sunt usi:

tente, pugno percussus est in malam. itaque Midiam accusavit 32. anno, accusationem tamen amicorum precibus postea omisit. extatque ejus oratio *Ἐπί Μείδῃ* *Ἐπί ἡγοδύλῃ*. Idem.

<sup>1</sup> *Utitur frequenter accusator, &c.*] Alii *Miserationem accusator etiam interdum movet.*

<sup>2</sup> *Etiam futuri, &c.*] Hæc ratio affectus movendi fit per *metabasm*, cum à præsentibus incommodis ad futura transimus. solet autem multum judicem movere. *Turneb.*

<sup>3</sup> *Nec non ab Æschine.*] Æschines contra Ctesiphontem, præmonuit Demo-

sthenem pauca *de lege* dicturum, permulta vero *de suis actionibus* & aliis rebus. monet igitur judices ut cogatur dicere *de lege* Demosthenes. *Idem.*

<sup>4</sup> *Quod est unum repetitionis genus.*] Jam enim in *confirmatione* & *confutatione* his occurrimus & respondimus, quæ ab adversario dici potuerunt: quæ hoc genere de quo nunc ait, diversa dicendi forma repetuntur. *Idem.*

<sup>5</sup> *Periclitantem vero.*] Nunc explicat locos, quibus affectus movere potest defensor. est autem hoc proprium ejus, *movere commiserationem*, nonnunquam tamen etiam *invidiam*. *Idem.*

i Pre

uli: <sup>1</sup> pro Scauro patre hic, ille pro filio. <sup>2</sup> Commendat & causa periculi, si suscepisse inimicitias ob aliquod factum honestum videtur: præcipue *bonitas, humanitas, misericordia*. Juste enim tunc petere ea quisque videtur à iudice: quæ alii ipse præstiterit. Referenda pars hæc quoque ad utilitatem reipub. *ad iudicium gloriam, ad exemplum, ad memoriam posteritatis*. Plurimum tamen valet miseratio, quæ iudicem flecti non tantum cogit, sed motum quoque animi sui lacrymis confiteri. <sup>3</sup> Hæc petentur aut *ex iis quæ passus est reus*, aut *ex iis quæ tum maxime patitur*, aut *ex iis quæ damnatum manent*: quæ & ipsa duplicantur cum dicimus *ex qua illi fortuna, & in quam recidendum sit*. Affert in his momentum & ætas, & sexus & pignora: *liberi, dico & parentes, & propinqui*. Quæ omnia tractari varie solent. <sup>4</sup> Nonnunquam etiam & ipse patronus has partes subit: ut Cicero pro Milone, *O me miserum, ô me infelicem. Revocare me tu in patriam Milo potuisti per hos, ego te in patria per eosdem retinere non potero?* Maximeque si (ut tunc accidit) non convenient ei qui accusatur, preces. Nam quis ferret Milonem pro capite suo supplicante, qui à se virum nobilem interfectum, quia id fieri oportuisset, fateretur? Ergo & ille captavit ex illa præstantia animi favorem, & in locum lacrymarum ejus ipse successit. His præcipue locis <sup>5</sup> utiles sunt *profopopæia*, id est fi-

ctæ

<sup>1</sup> Pro Scauro.] Vide Valer. Max. l. 8. tit. de iud. publicis. Idem.

<sup>2</sup> Commendat & causa periculi.] Dixit more Græco *periculum* pro reatu & accusatione. cum igitur ob honestum aliquod factum incidimus in periculum capitis, aut fortunarum, inde affectum movere possumus. Idem.

<sup>3</sup> Hæc petentur.] *Miseratio* (ut ait Cic.) à tribus ducitur temporibus: quod etiam hoc loco ait Fabius. Hæc tamen ratio geminatur amplificando, cum fortunam superiorem cum futura comparamus. Hæc fere ex Cic. *Orat. & Partitionibus* desumpta sunt. Idem.

<sup>4</sup> Nonnunquam etiam.] Cic. in oratione pro Milone, Milonem semper inducit fortem, constantem, & magnanimum. Illi igitur preces non conveniebant: itaque Cic. decorum servavit, & suam personam in Milonis locum substituit, hocque modo implevit affectus. Idem.

<sup>5</sup> Utiles sunt *profopopæia*.] Nomine *profopopæia* quamcunque orationem intelligit, quæ sub aliena dicitur persona. itaque complectitur *ethopæiam, idolopæiam*, & eam quam peculiari nomine *profopopæiam* vocamus, quæ mutis rebus accomodat sermonem. Idem.

Etæ alienarum personarum orationes, quales litigatorem decent, vel patronum. Mutæ tamen res movent, aut cum ipsis loquimur: aut cum ipsas loqui fingimus. Ex personis quoque trahitur affectus. Non enim audire iudex videtur aliena mala deflentes, sed sensum ac vocem auribus accipere miserorum, quorum etiam mutus aspectus lacrymas movet: quantoque essent miserabiliora si ea dicerent ipsi, tanto sunt quadam sua portione ad efficiendum potentiora, cum velut ipsorum ore dicuntur: ut scenicis actoribus eadem vox, eadem pronuntiatio plus ad movendos affectus <sup>1</sup> sub persona valet. Itaque idem Cicero quanquam preces non dat Miloni, eumque potius animi præstantia commendat, accommodavit ei tamen & verba, & convenientes etiam forti viro conquestiones. *O frustra, inquit, mei suscepti labores. O spes fallaces. O cogitationes inanes meæ.* <sup>2</sup> Nunquam tamen debet esse longa miseratio: nec sine causa dictum est, <sup>3</sup> *Nihil facilius quam lacrymas inarescere.* <sup>4</sup> Nam cum etiam <sup>5</sup> veros dolores mitiget tempus, citius evanescat necesse est illa, quam dicendo effinximus, imago: in qua si moramur, lacrymis fatigatur auditor, & requiescit, & ab illo quem ceperat impetu, <sup>6</sup> ad rationem redit. Non patiamur igitur frigescere hoc opus: & affectum cum ad summum perduxerimus, relinquamus: nec speremus fore, ut aliena

<sup>1</sup> *Sub persona valet.*] Quia persona representat similitudinem illius, cujus personam histrio sustinet. quocirca videtur homo ille, non autem histrio loqui. *Idem.*

<sup>2</sup> *Nunquam tamen debet esse longa.*] Vide Lud. Cresollii Vacat. Autumnal. lib. 3. pag. 687.

<sup>3</sup> *Nihil facilius quam lacrymas.*] Hoc sumptum ex *Partitionibus Cic. & primo de Inventione.* Turneb.

<sup>4</sup> *Nam cum etiam veros dolores.*] Vide Jani Gebhardi Animadvers. ad Propertii lib. 3. Eleg. 20. vs. 32. Plin. lib. 8. Epist. 2.

<sup>5</sup> *Veros dolores.*] Ut Sulpitius ait ad Cic. lib. 4. epist. famil. Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuatur atque molliat. & ut ait Euripides, *ἄδὸν ὁ μὲν δάξεται.* Turneb.

<sup>6</sup> *Ad rationem redit.*] Unde eleganter Plin. lib. 2. epist. Adnotatumque experimentis, quod favor & misericordia acres & vehementes primos impetus habent: paulatim consilio & ratione quasi restincta confidunt. Unde evenit, ut quod multi clamore permisso tuentur, nemo tacentibus ceteris dicere velit. patescit enim cum separaris à turba, contemplatio rerum quæ turba reguntur. *Idem.*

aliena quisquam diu ploret. Ideoque cum in aliis, tum maxime in hac parte debet crescere oratio: quia quicquid non adjicit prioribus, etiam detrudere videtur: & facile deficit affectus qui descendit. <sup>1</sup> Non solum autem dicendo sed etiam faciendo quædam, lacrymas movemus: unde & producere ipsos qui periclitentur, squalidos atque deformes: & liberos eorum ac parentes, institutum, & ab accusatoribus ostendi cruentum gladium, & lecta è vulneribus ossa, & vestes sanguine perfusas videmus, & vulnera resolvi, ac verberata corpora nudari. Quarum rerum ingens plerunque vis est, velut in rem præsentem animos hominum ducentium. <sup>2</sup> *Et populum Romanum egit in furorem prætexta Cæsarum prolata in foro cruenta.* Sciebatur interfectum eum, corpus denique ipsum <sup>3</sup> impositum lecto erat: vestis tamen illa sanguine madens, ita repræsentavit imaginem sceleris, ut non occisus esse Cæsar, sed tum maxime occidi videretur. Sed non ideo probaverim, quod factum & lego, & ipse aliquando vidi, depictam tabulam <sup>4</sup> supra Jovem in imaginem rei cuius atrocitate iudex erat commovendus. Quæ enim est actoris infantia, qui mutam illam effigiem magis quam orationem pro se putet locuturam? At fordes, & squallores, <sup>5</sup> & propinquorum quoque similem habitum scio profuisse, & magnum ad salutem momentum preces attulisse. Quare & *obsecratio* illa iudicum

per

<sup>1</sup> *Non solum autem.*] Affectus movetur rebus & verbis. verba significant, res ostendunt. utriusque idem est propositum, non tamen eadem tractatio & imitatio, ut hoc capite docebit. *Idem.*

<sup>2</sup> *Et populum Romanum.*] M. Antonius interfecto Cæsare concionem habuit apud populum, vestemque Cæsaris in qua confossus fuerat, pilo impositam porro ostendit, atque ita commovit ut populus statim impetum faceret in ædes conjuratorum. *Idem. Et populum.*] Suet. in vita Cæsaris, & Appianus l. 2. bel. civil.

<sup>3</sup> *Impositum lecto erat.*] Lectis olim

efferebantur cadavera, interdumque in ornamentum lectuli plures ponebantur: adeo ut in funere sexcentos aliquando fuisse legamus. *Turneb.*

<sup>4</sup> *Supra Jovem.*] In foro Romano statua Jovis erat posita, ut ex numinis religione sanctius iudices sententiam ferrent. *Idem.*

<sup>5</sup> *Et propinquorum quoque.*] Solebant quoque proquinqui reorum habitum mutare, sordidatque populum prehensare, iudicumque misericordiam captare. Hac de re vide Bud. in *post. annot. in Pandect.* *Idem.*

I Genibus

per charissima pignora, utique si & reo sint liberi, conjunx, parentes, utilis erit. Et deorum etiam invocatio, velut ex bona conscientia profecta videri solet. Stratum denique jacere, & genua complecti: nisi tamen persona nos, & anteacta vita, & rei conditio prohibebit. <sup>2</sup> Quædam enim tam fortiter tuenda, quam facta sunt. Verum sic est habenda auctoritatis ratio, ne sit invisa securitas. <sup>3</sup> Fuit quondam inter hæc omnia potentissimum id, quo <sup>4</sup> Lucium Murænam Cicero accusantibus clarissimis viris, eripuisse præcipue videtur. Persuasit enim nihil esse ad præsentem rerum statum utilius, quam <sup>5</sup> pridie Calend. Januarias ingredi Consulatum. <sup>6</sup> Quod genus nostris temporibus totum pene sublatum est, cum omnia curæ tutelæque unius innixa periclitari <sup>7</sup> nullo judicii exitu possint. De accusatoribus & reis sum locutus, quia in periculis maxime versatur affectus. <sup>8</sup> Sed privatæ quoque causæ utrunque habent perorationis genus: & illud quod est ex enumeratione probationum, & hoc quod ex lacrymis: si aut <sup>9</sup> statu periclitari, aut <sup>10</sup> opinione litigator videtur. Nam in parvis quidem litibus has tragædias movere, tale est, quale si personam Herculis & cothur-

<sup>1</sup> *Genibus complecti.*] Plinius docet in auriculis positam esse memoriam, ut in genibus misericordiam. quapropter supplices solent aliorum genua amplexari. Idem.

<sup>2</sup> *Quædam enim tam fortiter.*] Ut Milonem non debuit Cic. supplicem facere, quoniam fortiter se fecisse dicebat, interficiendo insidiatorem. Idem.

<sup>3</sup> *Fuit quondam.*] Cum esset nondum oppressa Catilinæ conjuratio, essetque Cic. in exitu sui consulatus, suavit optimum esse ut consules designati inirent magistratum quam primum, ne illis consulatum præriperet Catilina. Idem.

<sup>4</sup> *Lucium Murænam.*] Cic. ipse pro Flacco, ait, se defendente Murænam ob metum ne rempub. Catilina opprimeret, fuisse absolutum. Pith.

<sup>5</sup> *Pridie Calend. Januarias.*] Longe ante designabantur consules, quam in-

irent magistratum. Inibant autem magistratum Cal. Januariis, ac tum justum habebant imperium, & imperii fasces. Turneb.

<sup>6</sup> *Quod genus.*] Assentatur Domitiano Fabius. significat enim reipub. periculum imminere non posse, si Cos. antequam magistratum ineat damnetur, cum ea sub Domitiano principe orba esse non possit, à quo uno commode regeretur, etiam ut nulli essent consules. Idem.

<sup>7</sup> *Nullo judicii exitu.*] Sive damnetur, sive absolvatur. Idem.

<sup>8</sup> *Sed privatæ, &c.*] Tamen causæ privatæ aut magna ex parte affectibus carent, aut habent affectus leniores. Idem.

<sup>9</sup> *Statu.*] De dignitate. Idem.

<sup>10</sup> *Opinione.*] Ponæ existimationis. Idem.



<sup>1</sup> *cothurnos aptare infantibus velis.* Illud ne indignum quidem admonitione, ingens in epilogis meo iudicio verti discrimen, quomodo se dicenti, qui excitatur, accommodet. Nam & *imperitia*, & *rusticitas*, & *rigor*, & *deformitas afferunt* interim *frigus*: diligenterque hæc sunt actori providenda. <sup>2</sup> Equidem repuganteis eos patrono, & nihil vultu commotos, & intempestive ridentes, & factò aliquo vel ipso vultu risum moventes sæpe etiam vidi, præcipue vero cum aliqua velut scenice fiunt. Transtulit patronus aliquando puellam, quæ soror esse adversarii dicebatur (nam de hoc lis erat) <sup>3</sup> in adversa subsellia, tanquam in gremio fratris relicturus. at is à nobis præmonitus discesserat. Tum ille alioqui vir facundus, inopinatæ rei casu obmutuit, & infantem suam frigidissime reportavit. Alius, imaginem mariti pro rea proferre magni putavit: at ea sæpius <sup>4</sup> risum fecit. Nam & ii quorum officii erat, ut traderent eam, ignari qui esset epilogus, quoties respexisset patronus, offerebant palam, <sup>5</sup> & prolata novissime, deformitate ipsa, (<sup>6</sup> nam senis cadaveris infusa) præteritam quoque orationis gratiam perdidit.

<sup>1</sup> *Cothurnos aptare.*] Hoc proverbiale est, ut refert Erasmus, usurpaturque cum rei parvæ aliquid maximum. quod minime deceat, accommodatur. ductum est ab histrionibus, quibus persona quæ representat Herculem imponitur in tragœdia. sed quemadmodum altus fuit Hercules, ita histrio procerus esse debet qui illius personam sustinet. *Idem.*

<sup>2</sup> *Equidem repugnantes.*] Significat Fabius eum qui producitur sese debere orationi dicentis accommodare, ut si oratio moveat misericordiam, videatur ipse miserabilis: alioqui enim summo-  
pere nocebit. *Idem.*

<sup>3</sup> *In adversa subsellia.*] Reus erat in subselliis dextris, accusator in subselliis sinistris. Igitur transtulit puellam patronus à suo subsellio ad subsellium adversarii, ut affectum moveret. *Idem.*

<sup>4</sup> *Risum fecit.*] Porro docebit Fab.

in sequentibus, nihil esse melius ad solvendum affectum, quam *risum*. *Idem.*

<sup>5</sup> *Et prolata novissime, deformitate ipsa* (nam *senis cadaver* attulerant *infusum*.) Sic legendum censet Turneb. *advers.* lib. 29. cap. 1. vel 2.

<sup>6</sup> *Senis cadaveri infusa.*] Hoc intelligendum videtur de *typo*, sive *protypo*. Scribit enim Plinius lib. 35. cap. 12. in hunc modum, *hominis imaginem gypso ex ipsius facie cera infusa formæ exprimebant.* præterea apud Romanos (ut alio loco docet Plin.) *imagines è cera fiebant, ac expressi cera vultus singulis ponebantur armariis.* Igitur intelligendum est juvenulam fuisse uxorem. Cum igitur prolata esset imago mariti senis, id affectum non movebat, quia lætandum videbatur uxori, quod maritum senem perdidisset. *Turneb.*

*I Spiritu*

perdidit. Nec ignotum quid Glyconi, cui <sup>1</sup> *Spiridion* fuit cognomen, acciderit. *Huic puer, quem in jus productum, quid fleret interrogabat, <sup>2</sup> ex pedagogo se vellicari respondit.* Sed nihil illa contra <sup>3</sup> *Cepasios* Ciceronis fabula efficacius ad pericula epilogorum. Omnia tamen hæc tolerabilia, quibus <sup>4</sup> actionem mutare facile est: atqui à stylo non recedunt, aut conticescunt ad hos casus, aut frequentissime falsa dicunt. Inde est enim, *Tendit ad vestra genua supplices manus. &, Hæret in complexu liberorum miser. &, Revocat ecce me.* etsi nihil horum is de quo dicitur, faciat. <sup>5</sup> Et è scholis hæc vitia, in quibus omnia libere fingimus, & impune, quia pro facto est quicquid volumus. non admittit hoc idem veritas fori. Egregieque Cassius Severus dicenti adolescentulo, *Quid me torvo vultu intueris Severe? Non me hercule, inquit, faciebam, <sup>6</sup> sed sic scripsisti, ecce. & quam potuit, truculentissime eum aspexit.* Illud præcipue monendum, ne quis nisi summis ingenii viribus ad movendas lacrymas aggredi audeat. Nam ut est longe vehementissimus hic cum invaluit affectus, ita si nihil efficit, tepet: quem melius infirmus actor tacitis iudicum cogitationibus reliquisset. Nam & vultus, & vox, & ipsa illa excitati rei facies, ludibrio etiam plerunque sunt hominibus quos non promoverunt. Quare metiatur ac diligenter æstimet vires suas actor:

<sup>1</sup> *Spiridion.*] Forte quod similis esset quadantenus *spira* aut *resticula* obvoluta, ex gracilitate & curvitate corporis. *Idem.*

<sup>2</sup> *Ex pedagogo se vellicari.*] Puero additus fuerat *pedagogus* à quo vellicaretur cum flendum esset ad misericordiam movendam. Igitur cum debuisset respondere puer se flere ob calamitates patris, dixit se flere quia pungeretur à *pedagogo*. *Idem.*

<sup>3</sup> *Cepasios frat.*] In oratione pro Cluentio. de quo Fab. l. 4. & paulo post agit. *Idem.*

<sup>4</sup> *Actionem mutare.*] Oratores qui valent *extemporalis sacundia*, hoc vitium

emendare possunt *ex tempore*: at qui nihil nisi compositum ad causas afferunt, tum obmutescunt. qui à *stylo* non recedere dicuntur, hoc est à præscripta domi præmeditataque oratione. *Idem.*

<sup>5</sup> *Et è scholis.*] In *declamationibus* orator hæc omnia ad voluntatem fingit: at non eadem est libertas in foro. illic enim duntaxat quod fit dicendum est. *Idem.*

<sup>6</sup> *Sed sic scripsisti.*] Mire notavit scriptam illius adolescentis orationem. nec enim hoc dixerat, quia torve inspexisset Severus, sed quia ita domi orationem composuerat. *Idem.*

actor: & quantum onus subiturus sit, intelligat. Nihil habet ista res medium, sed aut lacrymas meretur, aut risum. <sup>1</sup> Non autem commovere tantum miserationem, sed etiam discutere, *epilogi* est proprium quum oratione continua, quæ motos lacrymis iudices ad justitiam reducat, tum etiam quibusdam urbane dictis: quale est, *Date puero panem, ne ploret.* Et corpulento litigatori, cujus adversarius item puer circa iudices erat, ab advocato latus, <sup>2</sup> *Quid faciam? ego te bajulare non possum.* Sed hæc tamen, non debent esse mimica. Ita neque illum probaverim, qui inter clarissimos sui temporis oratores fuit, qui *pueris in epilogum productis*, <sup>3</sup> *Talos projecit in medium, quos illi diripere cœperunt.* Nanque hæc ipsa discriminis sui ignorantia potuit esse miserabilis. Neque illum, qui cum esset *cruentus gladius ejus ab accusatore prolatus, quo is hominem probabat occisum, subito ex subselliis ut territus fugit, & capite ex parte velato, cum ad agentem ex turba prospexisset, interrogavit an jam ille cum gladio recessisset.* <sup>4</sup> Fecit enim risum, sed ridiculus fuit. <sup>5</sup> Discutiendæ tamen oratione hujusmodi scenæ. Egregieque Cicero, qui & <sup>6</sup> contra imaginem Saturnini pro Rabirio graviter, & contra juvenem cujus subinde vulnus in iudicio resolvebatur,

pro

<sup>1</sup> *Non autem commovere.]* Quemadmodum in epilogo commovetur affectus, ita etiam sedatur: alioqui iudicis animus miseratione occupatus, præter justum judicaret. est igitur *composito affectu* reducendus ad rationem. Hæc est una ratio solvendorum affectuum, ut pacata rursus compositaque mens tranquillitati reddatur. Fit autem hoc vel per *continuum orationem*, vel per *locos*, de quibus nunc exempla ponit, & fusius cap. de risu. Idem.

<sup>2</sup> *Quid faciam?]* Illudit homini corpulento, quem negavit se bajulare posse, quo modo advocatus puerum circa iudices tulerat. Idem.

<sup>3</sup> *Talos projecit.]* Tali sunt officula quædam in suffragine animalium bisul-

corum, quibus solent pueri lustrare. Idem.

<sup>4</sup> *Fecit enim risum, sed ridiculus fuit.]* Eleganter ista duo distinxit. nam & aliquis *facere risum* potest, ut tamen ludibrio non sit. Hic vero ludibrio fuit. *ridiculus* enim passive accipitur. Idem.

<sup>5</sup> *Discutiendæ tamen.]* Antea docuit quo pacto *urbanis* quibusdam *dictis* discuti posset affectus: nunc quo pacto *oratione perpetua*. cæterum appellat *scenas* hujusmodi *tragedias*, quas adversarii excitant movendis affectibus, productis quibusdam personis, aut rebus quibusdam prolatis. Idem.

<sup>6</sup> *Contra imaginem Saturnini.]* In C. Rabirii accusatione T. Labienus L. Saturnini imaginem produxit ad movendos affectus. Idem.

I. Sunt

pro Vareno multa dixit urbane. <sup>1</sup> Sunt & illi leniores epilogi, quibus adversario satisfacimus: si forte sit ejus persona talis, ut illi debeat reverentia, aut quum amice aliquid commonemus, & ad concordiam hortamur: quod est genus egregie tractatum à Passieno, cum Domitia uxoris suæ pecuniariam litem adversus fratrem ejus Ænobarbum ageret. Nam quum de necessitudine multa dixisset, de fortuna quoque, qua uterque abundabat, adjecit, *Nihil vobis minus deest, quam de quo contenditis.* <sup>2</sup> Omnes autem hos affectus, etiam si quibusdam videntur in proœmio atque in epilogo sedem habere, in quibus sane sunt frequentissimi, tamen aliæ quoque partes recipiunt, sed breviores, ut cum ex his plurima sint reservanda. At hîc si usquam, totos eloquentiæ aperire fontes licet. Nam ex his, si bene diximus reliqua, possidemus jam judicum animos: <sup>3</sup> & *confragosus atque asperis eventi, tota pandere possumus vela:* & cum maxima pars epilogi <sup>4</sup> amplificatio, verbis atque sententiis uti licet magnificis, atque ornatis. Tunc est commovendum theatrum, quum ventum est ad ipsum illud, quo veteres tragœdiæ comœdiæque clauduntur, *Plaudite.* In aliis autem partibus tractandus affectus erit <sup>5</sup> ut quisque nascetur. Nam neque exponi sine hoc res atroces & miserabiles debent. Cum de

qua-

<sup>1</sup> *Sunt & illi.]* Quanquam vulgo ajunt in exordio leniores esse affectus, in conclusione graviore, tamen conclusio nonnunquam lenes habet affectus, ut eum conciliare nobis volumus adversarium, cum eum amice objurgamus, aut commonefacimus. *Idem.*

<sup>2</sup> *Omnes autem hos affectus.]* Significat in omni causâ parte locum habere affectus posse, dum tamen causa sit affectuum capax. quanquam nonnulli duas partes tribuunt affectibus, exordium & conclusionem: duas docendo deputant, narrationem & confirmationem. quod si verum est, ita intelligendum est, illic frequentiores, hîc rariores esse affectus. *Idem.*

<sup>3</sup> *Et confragosus.]* Metaphora est à re nautica ducta. nam in locis scopulosis & confragosus solent contrahere vela nautæ, ne impetu venti impingant in scopulos. significat autem confirmationem & refutationem minus admittere orationis ubertatem quam conclusionem. *Idem.*

<sup>4</sup> *Amplificatio.]* Intelligere etiam contrarium debemus, nimirum diminutionem, quia illos affectus quos adversarius concitavit, extenuare debemus ac sedare. *Idem.*

<sup>5</sup> *Ut quisque nascetur.]* Nam docuit lib. 4. si quid miserabile aut atrox narretur, non esse explicandum sine affectibus, sero enim tractarentur in conclusione, qui non essent positi in explicacione. *Idem.*

FF 3 I Cicero.]

qualitate alicujus rei quæstio est, probationibus uniuscujusque rei recte subjungitur. Ubi vero conjunctam ex pluribus causam agimus, etiam necesse erit uti pluribus quasi epilogis: ut in Verrem <sup>1</sup> Cicero fecit. Nam & Philodamo, & navarchis, & cruciat is civibus Romanis, & aliis plurimis suas lacrymas dedit. Sunt qui hos *μετακὲς ἐπιλόγους* vocent, quo partitam perorationem significant. <sup>2</sup> Mihi non tam partes ejus quam species videntur. Si quidem hæc epilogi & perorationis nomina ipsa aperte satis ostendunt hanc esse consummationem orationis.

<sup>1</sup> Cicero.] Act. 3. & 7.

<sup>2</sup> Mihi non tam.] Epilogi illi qui subjiciuntur singulis criminibus, non sunt epilogorum partes quædam & quædam

membra, sed species & rationes, quæ totam epilogi conditionem complectuntur, & quodammodo conclusionis seu epilogi speciales. Turneb.

## C A P. II.

*De divisione affectuum: & quomodo movendi sint.*

<sup>3</sup> **Q**UAMVIS autem pars hæc judicialium causarum sit summa præcipueque constet affectibus, & aliqua de his necessario dixerim, non tamen potui, ac ne debui quidem locum istum in unam speciem concludere. Quare adhuc opus superest, cum ad obtinenda quæ volumus, potentissimum, tum supradictis multo difficilius, movendi judicum animos, atque in eum quem volumus habitum formandi, & velut transfigurandi. Qua de re pauca, quæ postulabat hæc materia, sic attigi, ut magis quid oporteret fieri, quam quo id modo consequi possemus, ostenderem. Nunc altius omnis rei repetenda ratio est. <sup>1</sup> Nam & per totam (ut diximus) causam locus est affectibus: & eorum non simplex

**P**OLLICETUR se de omnibus affectuum generibus dicturum: ante tamen docet quantum in animis hominum valeat affectus, eos deinde affectus dividit in *patheticos* & *ethicos*: quoque pacto moveantur explicat. Turneb.

<sup>1</sup> Nam & per totam.] Quædam causæ sunt *patheticæ* & *ethicæ*, quibus totis admisceri debet affectus: alioqui (ut superiori docuit cap.) non solum in exordio & epilogo locum habent affectus, verum etiam in cæteris partibus, dum sint breviores. Idem.

<sup>1</sup> Nam

simplex natura, nec in transitu tractanda, quo nihil majus afferre vis orandi potest. <sup>1</sup> Nam cætera forsitan tenuis quoque & angusta ingenii vena, si modo vel doctrina vel usu sit adjuncta, generare atque ad frugem aliquam perducere queat. <sup>2</sup> Certe sunt, semperque fuerunt non parum multi, qui satis perite, quæ essent probationibus utilia, reperirent: quos equidem non contemno, sed hætenus utiles credo, ne quid per eos judici sit ignotum: atque (ut dicam quod sentio) <sup>3</sup> dignos à quibus causas disertis docerentur. Qui vero judicem rapere, & in quem vellet habitum animi posset perducere, quo dicto flendum & irascendum esset, rarius fuit. Atque hoc est quod dominatur in judiciis. hæc eloquentiam regunt. <sup>4</sup> Namque argumenta plerunque nascuntur *ex causa*, & pro meliore parte plura sunt semper: ut qui per hæc vicit, tantum non defuisse sibi advocatum sciat. Ubi vero animis judicum vis afferenda est, & ab ipsa veri contemplatione abducenda mens, ibi proprium oratoris opus est. Hoc non docet litigator: <sup>5</sup> hoc libellis non continetur. *Probationes* enim efficiunt sane ut causam nostram meliorem esse judices putent: *affectus* præstant ut etiam velint. <sup>6</sup> Sed id quia volunt, credunt quoque. Nam cum *ira-*  
*sci,*

<sup>1</sup> *Nam cætera.*] Comparat hoc loco Fabius officium docendi cum affectu, quantaque sit affectuum vis docet. Cæterum illustri metaphora ingenii venam dixit. translatio ducta est à subterraneis aquarum conceptaculis. *Idem.*

<sup>2</sup> *Certe sunt.*] *Tenuis oratores* non sunt vituperandi: possunt enim apte rem explicare & probare, quia in illis partibus tenui plerunque utimur stylo: non tamen possunt movere, quoniam motus graviori orationis stylo explicatur, cui non sunt pares. *Idem.*

<sup>3</sup> *Atque dignos à quibus, &c.*] Illos tenues oratores quadantenus laudat, quadantenus vituperat. possunt enim fungi officio litigatoris, qui causam suam patrono explicat citra ullum affectum. *Idem.*

<sup>4</sup> *Namque argumenta.*] Lib. 5. docuit Fab. argumenta non solum ducenda à locis argumentorum, qui vulgo traduntur, verum etiam à proprietate causa. *Idem.*

<sup>5</sup> *Libellis.*] Appellat libellos commentarios quosdam qui memoriæ causa fiunt. Suetonius appellavit libellos *memoriales*. hunc igitur locum alio loco sic interpretatur Fabius, pessimam esse consuetudinem qua libelli conficiuntur à litigatoribus, qui confugiunt ad patronos, aut etiam ab aliis advocatis. *Idem.*

<sup>6</sup> *Sed id quia volunt, credunt.*] Sic Cæsar de bell. Gallic. lib. 3. c. 18. *Fere libenter homines id quod volunt, credunt.* Vide Joh. Brantii Notas Politicas in Jul. Cæsaris lib. 3. de Bell. Gall. p. 44.

F f 4

I Sicut

sci, favere, odisse, misereri cœperint, agi jam rem suam existimant: & <sup>1</sup> sicut amantes de forma judicare non possunt, <sup>2</sup> quia sensum oculorum premit amor, ita omnem inquirendæ veritatis rationem judex amittit occupatus affectibus: æstu fertur, & velut rapido flumini obsequitur. <sup>3</sup> Ita *argumenta* ac *testes* quid egerint, pronuntiatio ostendit: commotus autem ab oratore judex, quid sentiat, sedens adhuc atque audiens confitetur. An cum ille, qui plerisque perorationibus petitur, fletus erumpit, non palam dicta sententia est? Huc igitur incunbat orator, hoc opus ejus, hic labor est: sine quo cætera nuda, jejuna, infirma, ingrata sunt. adeo velut spiritus operis hujus atque animus est *in affectibus*. Horum autem sicut antiquitus traditum accepimus, duæ sunt species: Alteram Græci <sup>4</sup> *πῶθος* vocant, quam nos vertentes recte ac proprie <sup>5</sup> *affectum* dicimus: <sup>6</sup> Alteram *ἠθῶς*, cujus nomine, ut ego quidem sentio, caret sermo Romanus, *mores* appellantur: atque inde pars quoque illa philosophiæ *ἠθικῆς*, *moralis* est dicta. Sed ipsam rei naturam spectanti mihi, non tam *mores* significari videntur, quam *morum quædam proprietates*. nam ipsis quidem omnes habitus mentis continentur. Cautiores, voluntatem complecti, quam nomina interpretari maluerunt. Affectus igitur

<sup>1</sup> Sicut amantes, &c.] Proverbium hoc ductum est ex *symposio* Platonis, ubi scribitur amatorem cæcutire circa rem amatam. & hac de causa poetæ forte fingunt *amorem cæcum*. Turneb.

<sup>2</sup> Quia sensum oculorum premit amor.] Vide Jan. Gebhard. *Crepund.* lib. 1. c. 1. pag. 2.

<sup>3</sup> Ita *argumenta*.] Quantum valeant *argumenta* ac cætera probationes incertum est oratori, donec judex de causa pronunciarit: at *affectus* ita deprehendit judicis voluntatem omni in loco, & cum causa agitur, & post. Turneb.

<sup>4</sup> *Πῶθος* vocant.] *Πῶθος* divus Hieronymus transtulit *passionem*. posset tamen ad verbum transferri (ut ait Cic.) *morbis*, si caderet in consuetudinem

Latinam. itaque à Cic. *perturbatio* vertitur, nonnunquam etiam *affectio*: à Fabio *affectus*. de his vide Cic. 3. & 4. *Tusculana*. Illic enim omnes *affectus* explicat. *Idem*.

<sup>5</sup> *Affectum*.] Sic etiam Gell. lib. 1. *perturbationem* rectius quam *passionem*, ut & Hieronym. *Comment.* in *Esaiam* lib. 2. & in *Daniel*. *Pish*.

<sup>6</sup> *Alteram ἠθῶς*.] Alio quoque loco Fab. ait, hanc dictionem verti latine non posse. significat autem *proprietas affectum* cujusque personæ: qua ratione dicuntur (ut ait Fabius) quidam *picture ethici*, propterea quod sensum personarum & mores cum forma exprimunt. Vide de his Ciceronem in *Oratore*. Turnebus.

tur hos concitatos, illos mites atque compositos esse dixerunt. in altero vehementer commotos, in altero lenes. denique hos imperare, illos persuadere. hos ad perturbationem, <sup>1</sup> illos ad benevolentiam prævalere. <sup>2</sup> Adjiciunt quidam peritorum *πείθει* temporale esse. Quod ut accidere frequentius fateor, ita nonnullas credo esse materias, quæ continuum desiderent affectum. Nec tamen minus artis aut usus hi leniores habent, virium atque impetus non tantundem exigunt. In causis vero etiam pluribus versantur, imo secundum quendam intellectum in omnibus. <sup>3</sup> Nam cum nisi ex illo & hoc loco nihil ab oratore tractetur, quicquid de *honestis*, & *utilibus*, denique *faciendis* & *non faciendis* dicitur, <sup>4</sup> huc vocari potest. Quidam *commendationem* atque *excusationem* propria hujus officii putaverunt: nec abnuo esse ista in hac parte, sed non concedo ut sola sint: quin illud adhuc adjicio *πείθει* atque *ἡθύνει* esse interim ex eadem natura, ita ut illud majus sit, hoc minus: ut <sup>5</sup> *amor πείθει*, *charitas ἡθύνει*. Interdum diversa inter se, sicut in epilogis. Namque *πείθει* *conciat*, *ἡθύνει* solet *mitigare*. Propria tamen mihi hujus nominis exprimenda natura est, quatenus appellatione ipsa non satis significari videtur. *ἡθύνει* quod intelligimus, quodque à docentibus desideramus, id erit, quod ante omnia

<sup>1</sup> *Illos ad benevolentiam.*] Igitur si hos affectus partibus attribuere velimus, in *conclusionē* locum habebit *πείθει*, & nonnunquam *ἡθύνει*, si iudicem placare volumus: in *exordio* vero frequentius erit *ἡθύνει*, ut *benevolentiam* colligamus: in cuius tamen fine nonnunquam etiam *πείθει*. *Idem.*

<sup>2</sup> *Adjiciunt quidam.*] Est alia item differentia. nam *ἡθύνει* per totam spargitur *causam*: sic enim fit illa longe credibilior: *πείθει* vero non habet ubique locum, sed in *conclusionē* & *exordio*. quarum nonnullæ causæ sunt *patheticæ*, quarum partes omnes habent affectum. *Idem.*

<sup>3</sup> *Nam cum nisi ex illo & hoc loco.*] Secutus est ambiguitatem vocis Fabius. *ἡθύνει* enim duo significat, *proprietatem morum* cujusque personæ, & *probitatem morum* aut *improbitatem*, à quo posteriore intellectu dicitur *philosophia ethice*, id est, *moralis*. in hunc igitur posteriorem intellectum *affectus* duo possunt reduci. *Idem.*

<sup>4</sup> *Huc vocari potest.*] Dan. *ἡθύνει* vocari non potest. *Pith.*

<sup>5</sup> *Amor πείθει.*] Cic. in *Part. amicitiam* ait cerni amore & charitate, esseque charitatem erga patriam & parentes, erga conjuges autem & liberos quanquam sit charitas, amorem tamen maxime apparere. *Turneb.*



omnia bonitate commendabitur: non solum mite ac placidum, sed plerunque blandum & humanum, & audientibus amabile atque jucundum: in quo exprimendo summa virtus ea est, ut fluere omnia ex natura rerum hominumque videantur, quo mores dicentis ex oratione pelluceant, & quodammodo agnoscantur. Quod est sine dubio inter conjunctas maxime personas, quoties perferimus, ignoscimus, satisfacimus, monemus, procul ab ira, procul ab odio. Sed tamen alia patris adversus filium, tutoris adversus pupillum, mariti adversus uxorem moderatio est. <sup>1</sup> Hi enim præ se ferunt eorum ipsorum à quibus læduntur, charitatem: neque alio modo invisos eos faciunt quam quod amare ipsi videntur. Alia cum senex adolescentis, <sup>2</sup> alia cum convitium honestus inferioris fert. Hic enim tantum concitari, illic etiam affici debet. Sunt & illa ex eadem natura, sed motus adhuc minoris veniam petere, adolescentiæ defendere amores. <sup>3</sup> Nonnunquam etiam levis aliena calor derisus ex hac forma venit: sed non his ex locis tantum, verum aliquanto magis propriæ sunt virtutes simulationis, *satisfaciendi, rogandi, & ei parvas*, quæ diversum ei quod dicit, intellectum petit. Hinc etiam ille major ad concitandum odium nasci affectus solet, cum hoc ipso quod nos adversariis submittimus, intelligitur tacita impotentiae exprobratio. Nanque eos graves & intolerabiles id ipsum demonstrat, quod cedimus: & ignorant cupidi maledicendi, aut affectatores libertatis, plus invidiam quam convitium posse. nam invidia adversarios, convitium nos invisos facit. Ille jam pene medius affectus est, ex amoribus & ex desideriis amicorum & necessariorum. Nam & hoc major est,

<sup>1</sup> *Hi enim præ se ferunt.*] In his personis de quibus dixit, videtur ἡθὲ esse paulo severius. itaque cum objurgant, *objurgatio* tamen ab amore proficisci videtur. orator igitur hanc formam observare debet in oratione. *Idem.*

<sup>2</sup> *Alia.*] *D. Ant.*

<sup>3</sup> *Nonnunquam etiam levis.*] *Simulatio* pertinet ad ἡθὲ & πείθεσθαι. nam cum aliquem *simulatione* quadam leni irridemus, est ἡθὲ: at cum fingimus nos alicui summittere, hoc ipso illum superiorem significamus & in invidiam rapimus, estque πείθεσθαι. *Turneb.*

est, & illo minor. <sup>1</sup> Non parum significanter etiam illas in scholis <sup>2</sup> dixerimus, quibus plerunque rusticos, superstiosos, avaros, timidos, secundum conditionem propositorum effingimus. Nam sic <sup>3</sup> mores sunt, cum hos imitatur, & ex his ducimus orationem. <sup>4</sup> Denique hoc omne, bonum & comem virum poscit. Quas virtutes cum etiam in litigatore debeat orator, si fieri potest, approbare, utique ipse aut habeat, aut habere credatur. Sic proderit plurimum caussis, quibus ex sua bonitate faciet fidem. Nam qui dum dicit, malus videtur, utique male dicit. non enim videtur iusta dicere, alioqui <sup>5</sup> videretur. Quare ipsum etiam dicendi genus in hoc placidum debet esse ac mite: nihil superbum, nihil elatum saltem ac sublime dederet. Proprie, jucunde, credibiliter dicere, sat est. Ideoque & medius ille orationis modus maxime convenit. Diversum est huic quod <sup>6</sup> dicitur, quodque nos *affectum* proprie vocamus: & ut proxime utriusque differentiam signum illud comœdiæ, hoc tragœdiæ simile. <sup>7</sup> Hæc pars circa *iram, odium, metum, invidiam, miserationem*, fere tota versatur. Quæ quibus ex locis ducenda sint, & manifestum omnibus, & à nobis in ratione proœmii atque epilogi dictum est. Et metum tamen duplicem intelligi volo, quem patimur: & quem facimus. <sup>8</sup> Et invidiam, nanque altera invidum, altera invidiosum facit. Hoc autem hominis, illud rei est,

in

<sup>1</sup> Non parum.] Hoc præceptum pertinet ad *ethopæiam*, sive ad *ethologiam*, quæ fit cum orationem ex aliena dicimus persona, cujus mores apte exprimimus: quo modo declamatores solent interdum orare ex persona *rustici*, aut *avari*, aut *timidi*. Idem.

<sup>2</sup> Denique hoc omne.] Repetit præceptum quod posuit lib. 5. ut orator optimus sit, aut saltem optimus videatur: nam mores (ut docet Arist.) præcipuam faciunt fidem. cum igitur <sup>3</sup> sit placidum & mansuetum, oratoris quoque mores placidos & mansuetos esse oportet, ut optime affectu possit uti. Idem.

<sup>3</sup> H<sup>3</sup> dicitur.] Tum maxime servatur <sup>4</sup> in oratione, quando oratio cum rebus & personis consentit, neque discrepat à moribus dicentis. ac tum certe maxime videtur patroni oratio esse probabilis, & iusta dicere. Idem.

<sup>4</sup> Hæc pars.] Quatuor sunt generales perturbationes, *cupiditas, læritia gestiens, metus, ægritudo*. ab his reliquæ perturbationes fluunt. Idem.

<sup>5</sup> Et invidiam.] Cic. quoque in Tullianis, *invidiam* & active & passive sumi dicit. eam tamen sæpius *passive* usurpat: nam *active* dicit *invidentiam*. Idem.

<sup>8</sup> Nam

in quo & plus habet operis oratio. <sup>1</sup> Nam quædam videntur gravia per se, *parricidium, cædes, veneficium.* quædam efficienda sunt. Id autem contingit, aut cum magnis alioqui malis gravius esse id quod passi sumus, ostenditur: quale est apud Virgilium,

<sup>2</sup> *O felix una ante alias Priamæia virgo,  
Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis.*

*Jussa mori. —*

Quam miser enim casus *Andromachæ*, si comparata ei felix *Polyxena*? Aut cum ita exaggeramus injuriam nostram, ut etiam quæ multo minora sunt, intoleranda dicamus: *Si pulsasses, defendi non poteras: vulnerasti.* Sed hæc diligentius, cum ad amplificationem venerimus, dicimus. Interim notasse contentus sum, non id solum agere affectus, <sup>3</sup> ut quæ sunt ostendantur acerba ac luctuosa, sed etiam ut quæ toleranda haberi solent, gravia videantur: <sup>4</sup> ut cum in maledicto plus injuriæ, quam in manu: in infamia plus pœnæ dicimus, quam in morte. Namque in hoc eloquentiæ vis est, ut judicem non ad id tantum impellat, in quod ipsa rei natura duceretur: sed aut qui non est, aut majorem quam est, faciat affectum. Hæc est illa quæ <sup>5</sup> *δειωσις* vocatur, rebus indignis, asperis, invidiosis addens vim oratio: qua virtute præter

<sup>1</sup> Nam quædam videntur.] Amplificatio quæ fit per comparationem (de qua ager Fab. lib. 8.) prodesse solet ad exaggerandum, ut factum aut gravius videatur, aut etiam invidiosius. Idem.

<sup>2</sup> O felix.] *Polyxena* quæ post Trojæ excidium ad Achillis tumulum mactata occubuit, casus gravior esse debebat *Andromachæ*, quæ captiva abducta Heleno Priami filio, iridemque captivo nupsit: hæc tamen 3. *Æneid.* suum casum graviorem facit, ex hocque *Polyxenam* felicior, quod *foreitus non perit illos, Nec victoris heri tetigit captiva cubile.* Idem.

<sup>3</sup> Ut quæ sunt ostendantur.] Concisum loquendi genus. id est, quæ sunt

acerba & luctuosa, ostendantur effictalia. Id quod facit Cic. in *Divinatione*, cum ait, *Putasne posse*, (id quod in ejusmodi reo necessarium) *ut quæ ille libidinose, quæ nefario, &c.* quæ sequuntur. Idem.

<sup>4</sup> Ut cum in maledicto, &c.] Propterea quod *pulsatio* adfert duntaxat dolorem præsentem, at *maledictum* solet plerumque notam inurere quæ nunquam possit elui. Idem.

<sup>5</sup> *δειωσις*.] *δειωσις*, id est *gravitas* & *vehementia*, vel adeo *exaggeratio*, oratio est acris, augens rei indignitatem: quæ eadem *δειωλογία* appellatur. hujus meminit Fabius libro 8. capite 3. Idem.

I Quod

præter alios plurimum Demosthenes valuit. <sup>1</sup> Quod si tradita mihi sequi præcepta sufficeret, satisfeceram huic parti, nihil eorum quæ legi vel didici, quod modo probabile fuit, omitto; sed mihi in animo est, quæ latent penitus, ipsa huius loci aperire penetralia: quæ quidem non aliquo tradente, sed experimento meo, ac natura ipsa duce accipi. <sup>2</sup> Summa enim (quantum ego quidem sentio) circa movendos affectus in hoc posita est, *ut moveamur ipsi*. Nam & luctus & iræ & indignationis aliquando ridicula fuerit imitatio, si verba vultumque tantum, non etiam animum accommodaverimus. Quid enim aliud est causæ, ut lugentes utique recenti dolore disertissime quædam exclamare videantur, & ira nonnunquam in indoctis quoque eloquentiam faciat, quam quod illis inest vis mentis, & veritas ipsa morum? Quare in iis quæ verissimilia esse volumus, sumus ipsi similes eorum, qui vere patiuntur, affectibus: & à tali animo proficiscatur oratio, qualem facere iudicem volet. An ille dolebit, qui audiet me hoc cum dicam non dolentem? Irascetur, si nihil ipse qui in iram concitat idque exigit, simile patietur? Siccis agenti oculis lacrymas dabit? fieri non potest. <sup>3</sup> Nec incendit nisi ignis, nec madesimus nisi humore: nec res ulla dat alteri colorem, quem ipsa non habet. Primum est igitur, *ut apud nos valeant ea quæ valere apud iudicem volumus: afficiamurque antequam afficere conemur*. <sup>4</sup> At quomodo fiet ut afficiamur? Neque enim sunt motus in nostra potestate. Tentabo etiam de hoc dicere.

<sup>1</sup> *Quod si tradita mihi.*] Atqui ista omnia lib. 2. de Orat. apud Cic. repertiuntur. illic enim ait Antonius primum esse, si *movere* velimus iudicem, ut ipsi moveamur: si *iracundia* efficere, ira flagremus. Igitur impudenter hunc locum dissimulavit Fab. *Idem*.

<sup>2</sup> *Summa enim.*] Atqui idem dixerat Horatius, *Nam videntibus ardent & sentibus adsunt Humanæ vultus: si me vis flere, dolendum est Primum ipsi tibi: tunc tua me infortunia lædent, Telephe vel*

*Pelen. Idem.*

<sup>3</sup> *Nec incendit nisi ignis, &c.*] Sententia est epiphonemata per allegoriam enunciata, hoc sensu, *si iratum velis efficere iudicem, irascere: si iudicem lacrymas extorquere lacrymare. Idem.*

<sup>4</sup> *At quomodo fiet.*] Motus illi & affectus sunt in ea animæ parte quæ *irrationalis est*, nec voluntaria & arbitraria. querit ergo Fab. quo pacto fieri possit, ut pro voluntate moveamur & afficiamur. *Idem.*

I Quas

cere. <sup>1</sup> Quas *φαντασίας* Græci vocant, nos sane *visiones* appellamus: per quas imagines rerum absentium ita repræsentantur animo, ut eas cernere oculis, ac præsentibus habere videamur. has quisquis bene conceperit, is erit in affectibus potentissimus. Hunc quidam dicunt *δὲ φαντασιωτῶν*, qui sibi res, voces, actus secundum verum optime finget: quod quidem nobis volentibus facile continget. Nam ut inter ocia animorum, & spes inanes, & <sup>2</sup> velut somnia quædam vigilantium, ita nos hæc de quibus loquimur imagines prosequuntur, ut peregrinari, navigare, præliari, populos alloqui, divitiarum, quas non habemus, usum videamur disponere: nec cogitare, sed facere, hoc animi vitium ad utilitatem non transferemus? Ut hominem occisum querar: non omnia quæ in re præsentibus accidisse credibile est, in oculis habebō? non percussor ille subitus erumpet? non exauescet circumventus? exclamabit? vel rogabit? vel feriet? non ferientem, non concidentem videbo? non animo sanguis, & pallor, & gemitus, extremus denique expirantis hiatus insidet? Insequetur <sup>3</sup> *ἐνδορθεα*, quæ à Cicerone *illustratio & evidentia* nominatur: quæ non tam dicere videtur, quam ostendere: <sup>4</sup> & affectus non aliter, quam si rebus ipsis intersimus, sequentur. An non ex his visionibus illa sunt, <sup>5</sup> *Excussi manibus radii, revolutaque pensa?* &

-- Levi-

<sup>1</sup> *Quas φαντασίας.*] Phantasiam appellant vulgo *imaginationem*, quæ tamen interpretatio non est vituperanda. nam antea dixit Fab. *imaginari*. Cic. in Academicis & aliis locis vertit *visum*, nonnunquam etiam *informationem*. Cæterum *phantasia* vis est animæ, cui species à sensu profectæ insculpuntur, & quæ hinc data occasione ex libertate sua pleaque comminiscitur. hinc vero est ea vis animi, non *informatio* quæ illi insulpi-  
tur. *Idem.*

<sup>2</sup> *Velut somnia quædam vigilantium.*] Alludit ad proverbium, *species sunt vigilantium somnia*: quo quidem proverbio significamus, non minus esse vanas il-

lorum species quas otiosi confingimus, quam insoniam quæ secundum quietem accidunt. *Idem.*

<sup>3</sup> *Ἐνδορθεα, quæ à Cicerone.*] De Orat. 3. & Acad. quæst. lib. 4.

<sup>4</sup> *Et affectus non aliter, &c.*] Cum illam cædis imaginem animo concepero usque adeo evidentem, sequetur similis oratio, quæ rem ita auditoribus exprimat, ut ipsi negotio interesse videantur. quæ quidem figura nihil est utilius ad affectum movendum. *Idem.*

<sup>5</sup> *Excussi manibus.*] Hic versus est ex nono *Æneidos*, de Furyali matre, quæ filii mortem acceperat. *Idem.*

1 Et

--- *Levique patens in pectore vulnus? <sup>1</sup> Et equus illi in funere  
Pallantis,*

--- *positis qui insignibus*

*It lacrymans, guttisque humectat grandibus ora?*

Quid? non idem poëta penitus ultimi fati cepit imaginem,  
ut diceret,

--- *\* Et dulcis moriens reminiscitur Argos?*

Ubi vero *miseratione* opus erit, nobis ea de quibus querimur,  
accidisse credamus, atque id animo nostro persuadeamus.  
Nos illi simus, quos gravia, indigna, tristia passos quera-  
mur. Nec agamus rem quasi alienam, sed assumamus parum-  
per illum dolorem. Ita dicemus, quæ in simili nostro casu  
dicturi essemus. <sup>3</sup> Vidi ego sæpe histriones atque comæ-  
dos, cum ex aliquo graviore actu personam deposuissent,  
flentes adhuc egredi. <sup>4</sup> Quod si in alienis scriptis sola *pro-  
nunciatio* ita falsis accedit affectibus, quid nos faciemus qui  
illa cogitare debemus, ut moveri periclitantium vice pos-  
simus? Sed in schola rebus quoque ipsis affici convenit, eas-  
que veras sibi fingere, hoc magis, quod illic ut litigatores  
loquimur frequentius, quam ut advocati. *Orbum agimus, &  
naufragum, & periclitantem*: quorum induere personas quid  
attinet, nisi affectus assumimus? Hæc dissimulanda mihi  
non fuerunt, quibus ipse, quantuscunque sum, aut fui  
(nam pervenisse me ad aliquod nomen ingenii credo) fre-  
quenter motus sum, ut me non lacrymæ solum deprehen-  
derint, sed pallor, & vero similis dolor.

C A P.

<sup>1</sup> *Et equus.*] Versus sunt libro XI.  
Æneid.

*Et bellator equus positus insignibus Ætam,  
Et lacrymis guttisque humectat grandibus ora.* Idem.

<sup>2</sup> *Et dulces.*] Versiculus est ex IO.  
Æneidos de morte Antenoris, qui Argis

profectus cum Euandro venerat in La-  
tium, & cum Pallante Euandri filio  
auxilium Æneæ tulerat. Idem.

<sup>3</sup> *Vidi, &c.*] Huc refer Polum hi-  
strionem, de quo Gellius lib. 7. cap. 5.

<sup>4</sup> *Quod si.*] Argumentum à minoribus  
ad majus. Turneb.

Cum

## C A P. III.

## De risu.

<sup>1</sup> **H**uic diversa virtus, quæ risum iudicis movendo, & <sup>4</sup> illos tristes solvit affectus, & animum ab intentione rerum frequenter avertit, <sup>2</sup> & aliquando etiam reficit, & à fatietate vel à fatigatione renovat. Quanta sit autem in ea difficultas, vel duo maximi oratores, alter Græcæ, alter Latinæ eloquentiæ principes, docent. <sup>3</sup> Nam plerique *Demostheni* facultatem hujus rei defuisse credunt, *Ciceroni* modum. Nec videri potest voluisse *Demosthenes*, <sup>4</sup> cujus pauca admodum dicta, nec sane cæteris ejus virtutibus respondentia palam ostendunt <sup>5</sup> non displicuisse illi jocos, sed non contigisse. <sup>6</sup> Noster vero non solum extra iudicia, sed in ipsis etiam orationibus habitus est nimius risus affectator. Mihi quidem sive id recte iudico, sive amore immodico præcipui in eloquentia viri laboro, mira quædam videtur in eo fuisse urbanitas. Nam & in sermone quotidiano multa, & in altercationibus, & interrogandis testibus plura quam quisquam, dixit facete, & illa ipsa quæ sunt *in Verrem* dicta frigidius, aliis assignavit, & testimonii loco posuit: ut quo sunt magis vulgaria, eo sit credibilis illa ab oratore

**C**um risus sæpenumero graves solvat affectus, & ad affectuum rationem referatur, de eo tradendum fuit. *primum* igitur quantum valeat docet: *mox* quam difficile sit apte risum movere: *deinde* quibus appelletur nominibus: *postremo* ex quibus ducatur locis. *Turneb.*

<sup>1</sup> *Huic diversa virtus, quæ risum.*] *Ambros.* lib. 1. *Offic.* Præcepta de jocandi disciplina ab Ecclesiastica regula abhorreere putat. Et tamen 3. *Reg.* inducitur *Helias* solitarius ille & bonus *Baalis* sacerdotes deridens. *Laur. Vall. Pith.*

<sup>2</sup> *Et aliquando etiam reficit.*] Unde aliquando præcipiunt *rhetores*, ut cum iudex adversarii longa oratione fuerit fati-

gatus, à nobis ipso statim exordio opportuno quodam joco reficiatur. *Turnebus.*

<sup>3</sup> *Nam plerique.*] *In risu difficile est mediocritatem tenere:* risus *Demostheni* fuit, *Ciceroni* superfuit. si igitur oratores illi modum tenere non potuerunt, res est hæc perdifficilis. *Idem.*

<sup>4</sup> *Cujus pauca admodum dicta.*] Vide *Jan. Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 1. pag. 103. & 104.*

<sup>5</sup> *Non displicuisse illi jocos.*] *Cic.* tamen ait *Demosthenem* urbanum fuisse, sed non dicacem. *Turneb.*

<sup>6</sup> *Noster vero.*] Unde *Cato* illum appellavit *vidiculum consulem* in iudicio *Muræna*, ab inimicis vero appellabatur *scorta*

oratore non ficta, sed passim esse jactata. <sup>1</sup> Utinam Quintus, & libertus ejus Tyro, aut alius quisquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulgissent, & plus judicii in eligendis quam in congerendis studii adhibuissent: minus objectus calumniantibus foret: qui tamen nunc quoque, ut in omni ejus ingenio, facilius quid rejici quam quid adjici possit, invenient. Afferunt autem summam rei difficultatem, primum, <sup>2</sup> quod *ridiculum dictum* plerumque, <sup>3</sup> falsum est, hoc semper humile, saepe ex industria depravatum: praeterea nunquam honorificum: tum varia hominum judicia in eo, quia non ratione aliqua, sed motu quodam nescio, an enarrabili, judicatur. <sup>4</sup> Neque hoc ab ullo satis explicari puto, licet multi tentaverint. Unde *risus* quidem non solum factu aliquo dictove, <sup>5</sup> sed interdum quodam etiam corporis tactu laceffitur. Praeterea non una ratione moveri solet. Neque enim acute tantum ac venuste, sed stulte, iracunde, timide dicta aut facta ridentur. Ideoque anceps ejus rei ratio est, quod à derisu non procul abest *risus*. <sup>6</sup> Habet enim, ut Cicero dicit, *sedem in deformitate aliqua & turpitudine*. Quae cum in aliis demonstrantur, *urbanitas*: cum in ipsum dicentem recidunt, *stultitia*

*scurra consularis*. Macrobius Ciceronem ait in causa Flaeci unico ridiculo victoriam obtinuisse. Idem. Noster vero non solum, &c.] Vide Gebhard. Crepund. lib. 1. pag. 1. Macrobius lib. 1. cap. 1. Saturn. Lud. Cresollium Vacat. Autumnal. lib. 1. cap. 10. pag. 78.

<sup>1</sup> *Utinam Quintus*.] Tyro Tullius, Ciceronis libertus, tres libros edidit de *jocis Ciceronianis*. Macrobius tamen ait nonnullos existimare libros à Cicerone conscriptos fuisse. Turneb. *Utinam Quintus & libertus*.] De Cicer. Quis nescit consulare eum scurras ab inimicis appellari solitum? quod in oratione etiam sua Vatinius posuit. *Pitbaeus*. *Utinam Quintus & libertus*.] Vid. Muretum. Var. lect. lib. 19. cap. 6. p. 1228. Macrobius Saturn. lib. 2. cap. 1.

<sup>2</sup> *Quod ridiculum dictum pler.*] Muret. Var. Lect. lib. 19. cap. 6. pag. 1228.

<sup>3</sup> *Falsum est.*] Dan. *Lascivum*.

<sup>4</sup> *Neque hoc.*] Cic. lib. 2. de Oratore, unde haec omnia sumpsit Fabius, ait Democritum diu investigasse *risus causas*, multaque de *risu* scripsisse. plerique tamen *risus causas* referunt ad splem, alii ad praecordia, unde milites quidam trajectis ense praecordiis risu perierunt. Turneb.

<sup>5</sup> *Sed interdum, quodam etiam.*] Gebhard. Crepund. lib. 3. c. 1. p. 103.

<sup>6</sup> *Habet enim.*] Cic. 2. de orat. ait *ridiculum* oriri à deformitate aliqua & turpitudine, quae modo turpiter tanquam enuntietur. quae eadem est Arist. sententia: nam haec vel sola ridentur, vel maxime ridentur. Turneb.



*titia* vocatur. Cum videatur autem <sup>1</sup> res levis, & quæ à scurris, mimis, insipientibus denique sæpe moveatur, tamen habet vim nescio an imperiosissimam, & cui repugnari minime potest. <sup>2</sup> Erumpit enim etiam invitis sæpe, <sup>3</sup> nec fultus ope: nec vultus modo ac vocis exprimit confessionem, sed totum corpus vi sua concutit. Rerum autem sæpe (ut dixi) maximarum momenta vertit, cum odium iramque frequentissime frangat. Documento sunt <sup>4</sup> *juvenes Tarentini*, qui multa de Pyrrho rege securius inter cœnam locuti, cum rationem facti reposcerentur, & neque negari res, neque defendi posset, risu sunt & oportuno joco elapsi. Namque unus ex his, *Immo, inquit, nisi lagena defecisset, occidissimus te.* Eaque urbanitate tota est invidia criminis dissoluta. <sup>5</sup> Verum hoc quicquid est, ut non ausim dicere carere omnino arte, quia nonnullam observationem habet, suntque ad id pertinentia & à Græcis & à Latinis composita præcepta: ita plane affirmo præcipue positum esse *in natura & occasione*: Porro *natura* non tantum in hoc valet, ut acutior quis atque habilior sit ad inveniendum: nam id sane doctrina posset augeri: sed inest proprius quibusdam decor in habitu atque vultu, ut eadem illa minus dicente alio videantur urbana esse. *Occasioni* vero & in rebus est tanta vis, ut sæpe adjuti ea non indocti modo, sed etiam rustici false dicant in eum <sup>6</sup> quisquis aliquid dixerit prior. Sunt enim

longe

1 *Res levis.*] Cic. leve est, inquit, totum hoc, movere risum. Idem.

2 *Erumpit enim invitis sæpe.*] Qua de re Lud. Cresollus Vacat. Autumnal lib. 2. cap. 7. sect. 11. p. 235. 236. & seqq.

3 *Ne fultus ope.*] Vid. M. Anton. Muret. Variar. Lection. lib. 19. cap. 6. pag. 1228.

4 *Juvenes Tarentini.*] Vide Plutarchum in Pyrrho. Item Valerium Max. lib. 5. tit. de humanitate. Turneb.

5 *Verum hoc.*] *Cæsar & Antonius* apud Cic. 2. de Orat. ajunt ridiculi nullam esse artem, ac Græcos reprehendunt,

qui cum hac de re libros scripsissent, ostenderunt suam insulsiatam. Cic. tamen postea locos tradit ex quibus *sales* eruantur, ut videatur aliqua esse hac in re observatio. Constat certe (ut inquit Rodolph lib. 3.) hæc facultas natura primum, quæ cum in omni re multum, in hoc plurimum potest: deinde, quod proximum est, crebro usu. sunt tamen etiam tradita ejus præcepta, quatenus tradi præceptis potest, quorum auct. Cicero & Quintilianus. Idem.

6 *Quisquis aliquid dixerit prior.*] *Antiochus* Cic. omnino probabiliora sunt quæ

longe venustiora omnia in respondendo, quam in provocando. <sup>1</sup> Accedit difficultati, quod *ejus rei nulla exercitatio est, nulli præceptores*. Utique in conviviis & sermonibus multi dicaces: sed quia in hoc usu quotidiano proficimus, oratoria urbanitas rara nec ex arte propria, sed ad hanc consuetudinem accommodata. <sup>2</sup> Nihil autem vetabat & componi materias in hoc idoneas, ut controversiæ permittis salibus fingerentur: vel res proponi singulas ad juvenum talem exercitationem. <sup>3</sup> Quin illæ ipsæ, quæ dictæ sunt, ac vocantur: quas *certis diebus festæ licentia dicere solebamus*, si paulum adhibita ratione fingerentur, aut aliquid in his serium quoque esset admistum, plurimum poterunt utilitatis afferre: quæ nunc juvenum, vel sibi ludentium exercitatio est. Pluribus autem nominibus in eadem re vulgo utimur: quæ tamen si diducas, suam propriam quandam vim ostendent. Nam & *urbanitas* dicitur: qua quidem significari video sermonem præ se ferentem in verbis & sono & usu proprium quendam gustum urbis, & sumptam ex conversatione doctorum tacitam eruditionem: denique cui contraria sit *rusticitas*. *Venustum* esse, quod cum gratia quadam & venere dicatur, apparet. <sup>4</sup> *Salsum* in consuetudine pro ridiculo tantum accipimus: natura non utique hoc est: quanquam & ridicula oporteat esse salsa. Nam & <sup>5</sup> Cicero,

omne

quæ laceffiti dicimus quam quæ priores. Nam & ingenii celeritas major est, quæ apparet in respondendo, & humanitatis est responsio. Videmur enim quieturi fuisse, nisi essemus laceffiti. *Idem.*

<sup>1</sup> *Accedit difficultati.*] *Dicteria* quæ vulgo in conviviis usurpantur, efficere possunt hominem *dicacem*, non etiam *urbanum*. est enim *dicacitas* in brevi dicto, *urbanitas* vero in toto orationis corpore. *Idem.*

<sup>2</sup> *Nihil autem vetabat.*] Cujuscemodi est materia illa quæ tractatur à Seneca in ludo de morte Claudii imperatoris, & ab Erasmo in *Moria*, & à Luciano in *musca* & *judicio vocalium*. *Idem.*

<sup>3</sup> *Quin illæ ipsæ.*] Quibusdam festis, ut *Bacchanalibus* & *Saturnalibus*, solebant inter se contendere, proposito interim præmio, quis urbanius diceret ac venustius, pluribusque salibus uteretur. illa tamen consuetudo sene jam Fabio quotidie fiebat à juvenibus. *Idem.*

<sup>4</sup> *Salsum.*] Sic Plinius scribit, *Vita paulo humanior sine sale degi non potest*, adeoque necessarium est elementum ut intellectus transierit ad animi voluptates: *sales* enim appellantur: omnisque *voluptas*, *lepos*, *hilaritas* hoc nomine constat. *Idem.*

<sup>5</sup> *Cicero.*] II. de Orat.

omne quod falsum sit, ait esse Atticorum: non quia sunt maxime ad risum compositi: <sup>1</sup> & Catullus cum dicit,

<sup>2</sup> *Nulla in tam magno est corpore mica salis.*

hoc dicit, nihil in corpore ejus esse ridiculum. *Salsum* igitur erit, quod non erit insulsium, velut quoddam simplex orationis condimentum, quod sentitur latente judicio velut palato, excitatque, & à tædio defendit orationem. Sane tamen ut ille in cibis paulo liberalius aspersus, si tamen non sit immodicus, affert aliquid propriæ voluptatis: ita hi quoque in dicendo habent quiddam quod nobis faciat audiendi sitim. <sup>3</sup> *Facetum* quoque non tantum circa ridicula opinor consistere. Neque enim diceret Horatius <sup>4</sup> *facetum carminis genus natura concessum esse Virgilio.* Decoris hanc magis, & excultæ cujusdam elegantia appellacionem puto. Ideoque in epistolis Cicero hæc Bruti refert verba, *Næ illi sunt pedes faceti, ac deliciis ingredienti molles.* Quod convenit cum illo Horatiano,

— <sup>5</sup> *Molle atque facetum Virgilio.* <sup>6</sup> *Jocum* vero accipimus, quod est contrarium serio. Nam & fingere, & terrere & promittere interim, *jocus* est. <sup>7</sup> *Dicacitas* sine dubio à dicendo,

<sup>1</sup> *Et Catullus cum dicit.*] Budæus in commentariis linguæ Græcæ miratur sic hallucinatum esse Fabium ut *salem* in versu Catulliano acceperit pro *ridiculo*, cum potius significet *venustatem, gratiam, & elegantiam.* cæterum si sensum propius inspicias, locus videbitur corruptus, atque ita legendus erit, *Non hoc dicit, nihil esse, &c.* sic enim sibi consentiet Fabius. Turneb.

<sup>2</sup> *Nulla in tam magno corpore mica salis.*] Nihil in corpore ejus esse ridiculum exponit. Ego cum illius venia, nihil in corpore ejus esse gratiæ ac Veneris. Sales enim appellantur omnis vitæ lepos, & summa hilaritas, Græcis *αἰεσ* idem plerumque signant. Brodæus lib. 6. cap. 12. *Nulla in tam magno corpore, &c.*] Brodæus Miscell. lib. 6. cap. 12. pag. 556. Muret. Variar. Lect. lib. 19. cap. 6.

pag. 1229. Joh. Passeratii prælect. in Catull. Lud. Crescollus Vacat. Autumnal. lib. 2. cap. 8. sect. 4. pag. 270.

<sup>3</sup> *Facetum.*] Multis in locis Cicero *facetum* usurpat pro *urbanitate*, uti per totam orationem elegantia illa extendatur, differatque à *dicacitate.* Turneb.

<sup>4</sup> *Facetum.*] Ser. 1. Sat. 10.

<sup>5</sup> *Molle atque facetum.*] Locus hic est ex decima Satyra lib. primi sermonum, *Molle atque facetum, Virgilio annumerant, gaudentes rure Camæna.* loquitur autem de *Georgicôn opere.* Turneb.

<sup>6</sup> *Jocum vero.*] Tamen *jocus duplex* ponitur à Cic. 1. offic. *petulans & illiberalis*, alter vero *liberalis & gratus*, qualis est in Plauto, antiqua comœdia, & libris Socraticorum. Idem.

<sup>7</sup> *Dicacitas à dicendo.*] Vide Barthii Adversar. l. 51. c. 16. p. 2418.

1 Ideo

cendo, quod est omni generi commune, ducta est: proprie tamen significat sermonem cum risu aliquo incessentem. <sup>1</sup> Ideo Demosthenem *urbanum* fuisse dicunt, *dicacem* negant. Proprium autem materiæ de qua nunc loquimur, est *ridiculum*. Ideoque hæc tota disputatio à Græcis *ἡ δὲ γέλοιος* inscribitur. Ejus prima divisio traditur eadem quæ est <sup>2</sup> omnis orationis, ut sit positum *in rebus*, aut *in verbis*. Usus autem maxime simplex. Aut enim *ex aliis* risum petimus, aut *ex nobis*, aut *ex rebus* mediis. *Aliena aut reprehendimus, aut refutamus, aut elevamus, aut repercutimus, aut eludimus*. Nostra, ridicula indicamus, & <sup>3</sup> ut verbo Ciceronis utar, dicimus *aliqua subabsurda*. Namque eadem quæ si imprudentibus excidant, *stulta* sunt: si simulamus, *venusta* creduntur. Tertium est genus, ut idem dicit, in decipiendis expectationibus, dictis aliter accipiendis, cæterisque quæ neutram personam contingunt, ideoque à me *media* dicuntur. Item *ridicula* aut dicimus aut facimus. Facto risus conciliatur interim admista gravitate: ut *Marcus Cælius prætor, cum sellam ejus curulem* <sup>4</sup> *consul Isauricus fregisset, alteram posuit loris intentam*. dicebatur autem Cos. à patre aliquando cæsus flagris: Interim sine respectu pudoris, ut in illa <sup>5</sup> *pyxide Cæliana*, quod neque oratori, neque ulli gravi viro conveniat. Idem autem de vultu gestuque ridiculo dictum sit: in quibus est quidem summa gratia, sed major cum captare risum non videntur. nihil enim ex iis quæ dicuntur *salsa*, dicitur *falsius*. Quanquam autem gratiæ plurimum dictis severitas affert,

<sup>1</sup> Ideo Demosthenem urbanum.] Hoc ex Cic. in Orat. sumptum est. idem etiam scribit ad Brutum. Demosthenes autem urbanus est, quia in perpetuitate dicendi suavis est, non autem disteriis & scommatibus jaciendis. Turub.

<sup>2</sup> Omnis orationis.] Omnis enim oratio in res & verba dividitur. Idem.

<sup>3</sup> Ut verbo Ciceronis utar.] Lib. 2. de Orat. Sunt etiam illa subabsurda, sed eo ipso nomine sæpe ridicula, non solum minus proposita, sed etiam quodammodo no-

bis, &c. quæ seq. Idem.

<sup>4</sup> Consul Isauricus.] De Servilio ait, qui Isauricus est appellatus à domitis Isauris populis Pamphylia. is autem aliquando à patre loris cæsus fuerat, quod illi exprobravit Cælius cum intendisset sellam loris. Idem.

<sup>5</sup> Pyxide Cæliana.] Pyxidem ajebat à Cælio datam esse Clodia, quam secuta sit turpissima & foedissima fabula. ea autem à Cicerone non est commemorata in ea defensione. Idem.

affert, fitque ridiculum id ipsum, quia qui dicit, non ridet: est tamen interim & *aspectus & habitus oris & gestus non inurbanus*, cum iis modus contingit, id porro quod dicitur, aut est *lascivum & hilare*, qualia Galbæ pleraque: aut *contumeliosum*, qualia nuper Junii Bassi: aut *asperum*, qualia Cassii Severi: aut *lene*, qualia Domitii Afri. Refert, his ubi quis utatur. Nam <sup>1</sup> in conviviis & quotidiano sermone *lasciva* humilibus, *hilaria* omnibus conveniunt. <sup>2</sup> Ludere nunquam velimus, longeque absit propositum illud, *Potius amicum quam dictum perdidit*. <sup>3</sup> In hac quidem pugna forensi malim mihi lenibus <sup>4</sup> interdicere. quanquam & contumeliose & aspere dicere in adversarios permissum est: cum accusare etiam palam, & caput alterius iuste petere concessum sit. <sup>5</sup> Sed hinc quoque tamen inhumana videri solet fortunæ infestatio: vel quia culpa caret, vel quia recidere etiam in ipsos qui objecerunt, potest. Primum itaque considerandum est, & *quis*, & *in qua causa*, & *apud quem*, & *in quem*, & *quid dicat*. <sup>6</sup> Oratori minime convenit distortus vultus, gestusque, quæ in mimis rideri solent. <sup>7</sup> *Dicacitas* etiam scurrilis & scenica huic personæ alienissima est. *Obscœnitas* vero non à verbis tantum abesse debet, sed etiam à significatione. Nam si quando objici potest, non in omni loco exprobranda

<sup>1</sup> *In conviviis & quotidiano sermone.*] Gebhard. Crepund. l. 3. c. 1.

<sup>2</sup> *Ludere nunquam velimus.*] In convitio quando cum amicis erimus, cavere debemus ne eos dictis nostris incessamus. nam illa *dicacitas* sæpenumero amicitias dissolvit: hinc proverbium est vulgare, *potius amicum quam dictum perdidit*: de his qui jocorum intemperantia amicos petunt, cumque dicerium perdere nolint & reticere, perdunt amicum. Fusius Cic. 2. de Orat. Turneb.

<sup>3</sup> *In hac quidem pugna forensi.*] Ut illa: *Et quidem quo melius emptum scias comparavit hunc fundum Servilia deducta Tertia. Gallam subigo* apud Macrobi. & Gell.

<sup>4</sup> *Interdicere.*] Alii, *Utilicere*.

<sup>5</sup> *Sed hic quoque.*] Cic. in Orat. præcipit, *in facinorosos* ridiculo non esse utendum, si quidem majore vi sunt vulnerandi: nec item *in miserabiles*, quoniam inhumana videtur calamitatis exprobratio. Turneb.

<sup>6</sup> *Oratori minime convenit, &c.*] Idem præcipit Cic. lib. 2. de oratore, ubi vitandam esse ait imitationem *mimorum ethologorum*, & *distortam vultum sannitanum*. Idem.

<sup>7</sup> *Dicacitas enim, &c.*] Hoc etiam ex Cic. in Oratore. *Illud*, inquit, *admonemus*, *ridiculo sic usurum oratorem*, *ut nec nimis frequens nec scurrile sit, nec subobsœnum, nec mimicum, &c.* quæ seq. Idem.

branda est. Oratorem præterea ut dicere urbane volo, ita videri affectare id, plane nolo. Quapropter ne dicet quidem false quoties poterit, & dictum potius aliquando perdet, quam minuet auctoritatem. <sup>1</sup> Nec accusatorem autem atroci in causa, nec patronum in miserabili jocantem feret quisquam. Sunt etiam iudices quidam tristiores, quam ut risum libenter patiantur. Solet interim accidere, ut id quod in adversarium dicimus, aut <sup>2</sup> in iudicem conveniat, aut in nostrum quoque litigatorem: quanquam aliqui reperiuntur qui ne id quidem quod in ipsos recidere possit, evitent: quod fecit <sup>3</sup> Longus Sulpitius, qui cum ipse foedissimus esset, eum contra quem iudicio liberali aderat, *ne faciem quidem habere liberi hominis dixit*: cui respondens Domitius Afer, *Et tu, inquit, ex animi sententia Longe?* <sup>4</sup> *qui malam faciem habet, liber non est?* Vitandum etiam *ne petulans, ne superbum, ne loco, ne tempori alienum, ne præparatum & domo allatum videatur* quod dicimus. Nam adversus miseros, sicut supra dixeram, inhumanus est jocus: Sed quidam ita sunt receptæ auctoritatis & notæ verecundiæ, ut nocitura sit in eos dicendi petulantia. Nam de amicis jam præceptum est. Illud non ad orandi fere consilium, sed ad omnia pertinet, ne laceat hoc modo quem lædere sit periculosum, ne aut iniuriam graves insequantur, aut turpis satisfactio. <sup>5</sup> Male etiam dicitur, quod in plures convenit, si aut nationes totæ incessantur, aut ordines, aut conditio,

aut

<sup>1</sup> Nec accusatorem.] Cic. in Orat. præcipit utendum esse ridiculo in his rebus quæ neque magnum habent odium neque miserationem: unde traducit suum præceptum Fabius. *Ea, inquit, facillime luduntur, quæ neque odio magno neque misericordia maxima digna sunt.* Idem.

<sup>2</sup> In iudicem conveniat.] Quale illud est apud Cic. in Orat. *pusillus testis processit. Licet, inquit, rogare Philippus? Tum quaestor properans modo breviter. hic ille, Non accusabis, &c.* Idem.

<sup>3</sup> Longus Sulpitius.] Vid. Just. Lipsium Var. Lect. l. i. p. 14.

<sup>4</sup> Qui malam faciem.] Ita Domitius Afer retorsit dictum in Sulpitium Longum, qui eadem ratione liber non esset, cum turpissimus foret. Turneb.

<sup>5</sup> Male etiam dicitur.] Videtur tamen contra hoc præceptum fecisse Cicero. nam pro Fonteio, *contra Gallos dixit: pro Flacco, adversus Græcos & Asianos.* sed id expressum est necessitate iudicii. Idem.

Gg 4

i Neque

aut studia multorum. Ea quæ dicit vir bonus, omnia salva dignitate ac verecundia decent. Nimum enim risus precium est, si probitatis impendio constat. Unde autem concilietur risus, & quibus ex locis peti soleat, difficilimum est dicere. Nam si species omnes persequi velimus, nec modum reperiemus, & frustra laborabimus. <sup>1</sup> Neque enim numerosi minus sunt loci, ex quibus hæc dicta, quam illi ex quibus eæ quas *sententias* vocamus, ducuntur, neque alii. Nam hîc quoque est *inventio* & *elocutio*, atque ipsius elocutionis vis, alia in verbis, alia in figuris. <sup>2</sup> *Risus* igitur oriuntur aut *ex corpore* ejus in quem dicimus: aut *ex animo*, qui factis ab eo dictisque colligitur, aut ex his quæ sunt extra posita. Intra hæc enim est omnis vituperatio: quæ si gravius posita sit, *seria* est: si levius, *ridicula*. Hæc aut ostenduntur, aut narrantur, aut dicto notantur. Rarum est autem, ut oculis subjicere contingat, <sup>3</sup> ut fecit C. Julius, qui cum Helmio Mancix sapius obstrepenti sibi diceret, *Fam ostendam qualis sis*: isque plane instaret interrogatione qualein se tandem ostensurus esset, *digito demonstravit imaginem galli in scuto Mariano Cimbrico pictam, cui Mancix tum simillimus est visus*. Tabernæ autem erant circa forum, ac scutum illud signi gratia positum. <sup>4</sup> Narrare quæ falsa sint, in primis est subtile, & oratorium: ut Cicero pro Cluentio narrat *de Cepasio atque Fabritio*: ac Marcus Cælius *de illa C. Lælii colle-*  
*geque*

<sup>1</sup> *Neque enim numerosi.*] Julius quoque Cæsar apud Ciceronem 2. de Orat. non ex aliis ait locis duci jocos atque sententias, hoc tamen interesse, quod *sententia* in rebus honestis, graviter dictis: *Joci* in turpibus & quasi turpiculis ponantur. Denique *joci* ducuntur ab omnibus locis Topicis, & aliis quibusdam, quos hoc cap. enumerabit. *Idem.*

<sup>2</sup> *Risus igitur oriuntur.*] Quemadmodum *laudem* & *vituperationem* in hos tres locos dividebat l. 4. ita quoque hîc merito dividit *jocos*, cum præsertim magna ex parte comparati sint ad *incessendum*, *vituperandum*, *illudendum*. ab his quoque

locis ducuntur fere omnes sententia. *Idem.*

<sup>3</sup> *Ut fecit C. Julius.*] Hic jocus dicitur *ab imagine*, ut ait Cic. 2. de Orat. quæ trahitur à deformitate rei turpioris, referturque ad similitudinem. Cæterum quod Julio attribuit Cic. & Fabius, Plinius tribuit Crasso oratori l. 35. c. 4. *Idem.*

<sup>4</sup> *Narrare quæ falsa sint.*] Non tamen duntaxat narrationes falsæ pertinent ad jocos, sed etiam veræ, si modo sunt lepidæ. huc referuntur *apologi*, *fabula*, & *historiæ* quædam. *Idem.*

<sup>5</sup> *Cepasio.*] Ibi, *Citatur reus*, *agitur causa*,

gaque ejus in provinciam festinantium contentione. Sed in his omnibus cum elegans & venusta exigitur tota expositio, tum id est festivissimum, quod adjicit orator. Nam & à Cicerone sic est Fabritii fuga illa condita. Itaque cum calidissime se putaret dicere, & cum illa verba gravissima ex intimo artificio deprompsisset: *Respicite judices, hominum fortunas, respicite varios duosque casus, respicite C. Fabritii senectutem: cum hoc respicite*, ornandæ orationis causa sæpe dixisset, *respexit ipse*: at Fabritius à subselliis demisso capite discesserat, & cætera quæ adjecit: nam est notus locus: cum in re hoc solum esset, *Fabritium à judicio recessisse*. Et Cælius cum omnia venustissime finxit, <sup>1</sup> tum illud ultimum sic subsecutus: *Quomodo transferit, utrum rate, an piscatorio navigio, nemo sciebat. Siculi quidem, ut sunt lascivi & dicaces, aiebant <sup>2</sup> in delphino sedisse, & sic tanquam Ariona transvectum.* <sup>3</sup> In narrando autem Cicero consistere *facetias* putat, *dicacitatem* in jaciendo. Mire fuit in hoc genere venustus *Afer Domitius*, cujus orationibus complures hujusmodi narrationes insertæ reperiuntur: sed dictorum quoque ab eodem urbane, sunt editi libri. Illud quoque genus est positum non <sup>4</sup> in hac veluti jaculatione verborum, & inclusa breviter urbanitate, sed in quodam longiore actu: quod de Crasso <sup>5</sup> *contra Brutum* Cicero in *secundo de oratore libro*, <sup>6</sup> & aliis quibus-

causa, paucis verbis accusat, ut de re judicata, &c. quæ seq.

<sup>1</sup> *Tum illud ultimum sic subsecutus.*] In aliis codicibus sic legitur, *tum illud ultimum, Hic subsecutus: quomodo transferit, &c.* Idem.

<sup>2</sup> *In delphino sedisse.*] *Arion*, ut refert Herodotus *lib. primo*, cum Tarento trajiceret Corinthum, à nautis in mare præcipitatus est, sed exceptus tergo delphini in Tanarum usque est vectus. Idem.

<sup>3</sup> *In narrando autem.*] Cic. in Orat. ad Brutum, *salium duo genera esse dicit: unum facetiarum, alterum dicacitatis. utroque orator utitur: sed altero in nar-*

*rando aliquid venuste, altero in jaciendo mittendoque ridiculo.* Idem.

<sup>4</sup> *In hac veluti jaculatione verb.*] Vide Gebhard. *Crepund. lib. 3. c. 1. p. 103.*

<sup>5</sup> *Contra Brutum.*] Hic Brutus est alterius Bruti jurisconsulti filius, qui (ut docet Cic. *lib. 2. Off. & in Bruto*) male audiebat quod frequenter accusaret. idem etiam dilapidarat bona patria. Idem.

<sup>6</sup> *Et aliis quibusdam locis.*] In oratione pro Cluentio, ibi, *Ego vero in isto genere libentius cum multorum, tum hominis eloquentissimi & sapientissimi L. Crassi auth. &c.* quæ seq. Idem.



quibusdam locis narrat. Nam cum Brutus in accusatione Cn. Planci, <sup>1</sup> ex duobus lectoribus ostendisset contraria L. Crassum patronum ejus in oratione quam <sup>2</sup> de Colonia Narbonensi habuerat, suasisse iis quæ de lege Servilia dixerat, tres excitavit & ipse lectores, hisque <sup>3</sup> patris ejus dialogos dedit legendos: *quorum cum in Privernati unus, alter in Albano, tertius in Tiburti sermonem habitum complecteretur, requirebat ubi essent ea possessiones.* Omneis autem illas Brutus vendiderat: & cum paterna manciparet prædia, <sup>4</sup> turpis habebatur. Similis in <sup>5</sup> apologis quoque & quibusdam etiam interim historiis exponendis gratia consequi solet. Sed acutior est illa atque velocior in urbanitate *brevitas.* Cujus quidem duplex est forma, *dicendi, ac respondendi:* sed ratio communis in parte. Nihil enim in laceffendo dici potest, quod non etiam in repercutiendo. At propria quædam sunt respondentium: illa etiam ira concitati afferre solent: hæc plerunque in altercatione, aut in rogandis testibus requiruntur. Cum sint autem loci plures ex quibus dicta ridicula ducantur, repetendum est mihi, non omneis eos oratoribus convenire. In primis autem *ex amphiboliâ,* neque illa obscura, quæ <sup>6</sup> Atellanæ more captent, nec qualia vulgo jactantur à vilissimo quoque, conversa in maledictum fere

<sup>1</sup> Ex.] *Excitatis.* Pith.

<sup>2</sup> De Colonia Narbon.] Ut ex oratione pro Cluentio colligi potest, cum lex ferebatur ne Martius Narbo Colonia deduceretur, eam legem Crassus dissuasit, in eaque oratione multa dixit adversus senatores. Idem *legem Serviliam,* quam tulerat Servilius Cæpio, suasit. in qua oratione magnopere senatores laudavit. Hæc duo capita ut diversa inter se comparavit Brutus. Meminit & Cic. lib. de Clar. Oratoribus. Turneb.

<sup>3</sup> Patris ejus.] Pater Bruti optimus fuit jurisconsultus, ac de jure civili septem libros reliquit, ut meminit Pomponius de origine juris. Idem,

<sup>4</sup> Turpis habebatur.] Nam decolores in magna erant infamia. unde Adrianus imperator (ut refert Spartianus) eos jubebat *catamidiari* publice. est autem *mancipare, abalienare & vendere.* Unde *res mancipi* appellantur, quæ à nostro dominio possunt abalienari. Idem.

<sup>5</sup> Apologis.] Qualis illa est Demosthenis pro Aristide fabula de Megarensium asino festivissima, qua sibi male affectos judices attentos reddidit. Idem.

<sup>6</sup> Atellana.] *Atellanae fabulae* sunt Latinae, ut ait Diomedes, dictis jocularibus refertæ, ab *Atella* Oscorum urbe appellata. similes fere sunt *satyricis fabulis* Græcorum. Idem.

fere ambiguitate. <sup>1</sup> Ne illa quidem, quæ Ciceroni aliquando, sed non in agendo, exciderunt, ut dixi, *cum is candidatus qui coqui filius habebatur, coram eo suffragium ab alio peteret,* <sup>2</sup> *Ego quoque tibi jure favebo.* Non quia excludenda sint omnino verba duos sensus significantia, sed quia raro belle respondeant, nisi cum prorsus rebus ipsis adjuvantur. <sup>3</sup> Quare non hoc modo pene & ipsum scurrile Ciceronis est in eundem, de quo supra dixi, Isauricum, *Miror quid sit quod pater tuus homo constantissimus* <sup>4</sup> *te nobis varium reliquit:* sed illud ex eodem genere præclarum, cum objiceret Miloni accusator in argumentum factarum Clodio insidiarum, *quod Bovillas ante horam nonam divertisset, ut expectaret dum Clodius à villa sua exiret, & identidem interrogaret quo tempore Clodius occisus esset, respondit,* <sup>5</sup> *Sero.* Quod vel solum sufficit, ut hoc genus non totum repudietur. <sup>6</sup> Nec plura modo significari solent, sed etiam diversa: ut Nero de servo pessimo dixit. *Nulli apud se plus fidei haberi: nihil ei neque oclusum neque obsignatum esse.* Pervenit res usque ad ænigma: quale est Ciceronis in Pletorium Fonteii accusatorem, *cujus matrem dixit, dum vixisset,* <sup>7</sup> *ludum: postquam mortua esset, magistros habuisse.*

<sup>1</sup> *Ne illa quidem, &c.]* Qualia enumerantur à Plutarcho in ejus vita, A. Gellio, & Macrobio, aliisque auctoribus. *Idem.*

<sup>2</sup> *Ego quoque, &c.]* Amphibolia est in dictione *Jure.* alludit enim ad illa *juscula*, quæ condiuntur à coquis. ajunt etiam alii ambiguitatem esse in dictione *Quoque*, quæ nomen esse potest, & conjunctio. sed prior sensus convenientior est, ut opinor. De alio item dicit Cicero, *Optimo jure magistratum es adeptus.* *Idem. Ego quoque, &c.]* Vide Donatum in Adelphos Terent.

<sup>3</sup> *Quare.]* Dan. *Quale.*

<sup>4</sup> *Te nobis varium reliquit.]* Vari appellantur pustulæ quæ in toto corpore, præsertimque facie nasci solent, quædamque in vultu cavitates facere, *verolas* vulgo vocant. Inde *varius homo* dicitur,

per ambiguitatem, vel *inconstans*, vel *illis cavitatibus deformis.* Turneb.

<sup>5</sup> *Sero.]* Vel quod vesperi interfectus sit, vel quod utile fuisset reip. tam nefarium civem multo antea interfectum esse. simile fere Cic. in epist. ad Atticum, *Veni Capuam ad nonas Februarii, ita ut jusserant Coss. Eo die Lentulus venit, sero: alter Cos. omnino non venit.* *Idem.*

<sup>6</sup> *Nec plura modo.]* Servis, quorum nobis perspecta est probitas & fides, *nihil claudimus:* at improbi servi omnia quantumvis oclusa solent *aperire.* Antiqui autem cibum & potum *annuli signaculo* à rapina vendicabant. Sumptum hoc ex 2. lib. de Orat. *Idem.*

<sup>7</sup> *Ludum, &c.]* *Ludum* (teste Asconio) Romani quancunque scholam appellant. hic vero significat veluti *prostitutum*, quo conveniunt infames mulieres.

habuisse. Dicebantur autem, dum vixit, infames fœminæ ad eam convenire solitæ: post mortem ejus bona vaniabant. Quanquam hic ludus per translationem dictus est, *magistri* per ambiguitatem. In metalepsin quoque cadit ratio dictorum: ut *Fabius Maximus incusans* <sup>1</sup> *Augusti congiariorum quæ amicis dabantur, exiguitatem*, <sup>2</sup> *heminaria esse dixit*. Nam *congiarium* cum sit commune liberalitatis atque mensuræ, à mensura ducta imminutio est rerum. Et hæc tam frigida, <sup>3</sup> quam est nominum fictio, adjectis, detractis, mutatis literis: ut *Acisculum*, quia esset pactus, *Pacisculum*: & *Placidum* nomine, quia is acerbus natura esset, *Acidum*: & *Tullium*, cum fur esset, *Tollium* dictos invenio. Sed hæc eadem genera commodius in rebus quam in nominibus respondent. Afer enim venuste <sup>4</sup> *Manlium Suram* multum in agendo discursantem, salientem, manus jactantem, togam dejicientem & reponentem, <sup>5</sup> *non agere dixit, sed satagere*. Est enim dictum per se urbanum, *satagere*, etiam si nulla subsit alterius verbi similitudo. Fiunt & detracta & adjecta aspiratione, & binis conjunctis verbis similiter sapius frigida, aliquando tamen recipienda. Eademque conditio est in iis quæ à nominibus trahuntur. Multa ex hoc Cicero in Verrem, sed ut ab aliis dicta, *modo futurum ut omnia verreret, cum diceretur Verres*: <sup>6</sup> *modo Herculi quem expilaverat, molestiorem apro Erymanthio fuisse: modo malum*

Sacer-

res. *magistri* vero dicuntur illi qui hasta auctioni præstant, ut sæpe aliàs apud Ciceronem. Idem.

<sup>1</sup> *Augusti congiariorum, &c.*] Dona quæ princeps militibus largitur, *donativum* appellare solemus, ut ejus liberalitatem in populum & amicos *congiarium*: quæ appellatio inde ducta est, quia initio *congi* olei & vini dabantur. *congius* autem sextaria sex capit, *hemina* dimidium sextarii. Igitur ab imminutione mensuræ significavit *exiguitatem liberalitatis*. Idem.

<sup>2</sup> *Heminaria.*] *Frægerit heminas Arveti edilis iniquas.* Perf.

<sup>3</sup> *Quam est nominum fictio.*] Vocat *paronomastiam* Cic. lib. 2. de Orat. quando ex nominis allusione jocum captamus. Turneb.

<sup>4</sup> *Manlium.*] Leg. *Manilium*.

<sup>5</sup> *Non agere dixit, sed satagere.*] *Satagere* dicitur qui negotium aliquod magna anxietate & cura conficit: *agere* vero qui causam tuetur. Igitur non agebat ille, sed *satagebat*. Turneb.

<sup>6</sup> *Modo Herculi.*] Congenera sunt animalia *aper* & *verres*, duntaxat feritate & mansuetudine discrepant. Hercules autem aptum *Erymanthium* vivum ad Eurysteum tulit. Idem.

I Qui

Sacerdotem, <sup>1</sup> qui tam nequam verrem reliquisset: quia sacerdoti Verres successerat. <sup>2</sup> Præbet tamen aliquando occasionem quædam fœlicitas hoc quoque genere bene utendi: ut pro Cecinna Cicero in testem Sex. Clodium Phormionem. Nec minus niger, inquit, nec minus confidens, quam ille Terentianus est Phormio. Acriora igitur sunt & elegantiora, quæ trahuntur ex vi rerum. In his maxime valet similitudo, si tamen ad aliquid inferius, leuiusque referatur: qua jam veteres illi jocabantur, qui Lentulum Spintherem, & <sup>3</sup> Scipionem Serapionem esse dixerunt. Sed ea non ab hominibus modo petitur, verumetiam ab animalibus: ut nobis pueris <sup>4</sup> Junius Bassus, homo in primis dicax, <sup>5</sup> Asinus albus vocabatur. Et Sarmëntus seu Publius Bleffus Junium hominem nigrum & macrum & pandum, <sup>6</sup> fibulam ferream dixit. Quod nunc risus petendi genus frequentissimum est. Adhibetur autem similitudo interim palam, interim inferi solet parabolæ: cujus est generis id Augusti, qui militi libellum timide porrigenti, Noli, inquit, dubitare, <sup>7</sup> tanquam assem elephanto

<sup>1</sup> Qui tam nequam Verrem reliquisset.] Nam in Sicilia colitur Ceres cui immolantur porci. Idem.

<sup>2</sup> Præbet tamen.] Ut illud Cic. pro Cluentio, Atque etiam ipse conditor totius negotii Guttam aspergit huic Bulbo. itaque minime amarus is visus est, qui aliquid ex ejus sermone speculæ degustarat. Idem.

<sup>3</sup> Scipionem Serapionem.] Scipio ideo Serapio appellabatur, quia persimilis erat ei suarii cujusdam negotiatori servus. Hermolaus tamen Barbarus hoc loco Sciritionem legit, sicque legendum in Plinio contendit lib. 7. cap. 12. male tamen. Itidem Lentulus Spinther vocabatur, quia similis illi erat mimus secundarum & tertiarum Pamphilus Spinther. Vide Plinium lib. 7. cap. 12. & Val. l. 9. Idem. Scipionem Serapionem.] Mofellanus conjicit Scipionem per jocum Serapionem appellatum. Festus enim indicat Nevii carmen citans, deformes & im-

mundas anus olim serapias dici solitas.

<sup>4</sup> Junius Bassus.] Vid. Turneb. Advers. lib. 28. cap. 35. p. 1081. Val. l. 9. titul. 15.

<sup>5</sup> Asinus albus vocabatur.] Asinum passim usurpant veteres pro stupido, bardo, & inepto: unde Bassus asinus appellabatur, quia inepte erat ditax. additur albus, propter notabile vitium: id enim prodigiosum est. Turneb. Cicer. ad Attic. lib. 6.

<sup>6</sup> Fibulam ferream dixit.] Fibula appellatur batillus ex aliqua materia, quo quidpiam connectitur. sunt autem illæ fibulæ incurvæ. similitudinem igitur habebat cum fibula ferrea Junius. Turneb.

<sup>7</sup> Tanquam assem elephanto des.] Plinius ait ita mansuetos esse elephantos, ut stipem quam populus dederit accipiant proboscide. cum tamen aliquis stipem porrigit elephanto, non mediocriter timeret. est igitur ductus jocus ab illo ludicro. Turneb.

phanto des. Sunt quædam etiam verisimilia: unde Vatinus, cum reus agente in eum Calvo, candido frontem sudario tergeret, idque ipsum accusator in invidiam vocaret: *Quamvis reus sum, inquit, & panem candidum edo.* Adhuc est subtilior illa ex simili translatio, cum quod in alia re fieri solet, in aliam mutuamur. Ea dicatur sane *fiçtio*: ut Chrysippus, cum in triumpho Cæsaris <sup>2</sup> eborea oppida essent translata, & post dies paucos Fabii Maximi lignea, *thecas esse oppidorum Cæsaris dixit.* <sup>3</sup> Et Peto <sup>4</sup> de Mirmillone, qui retiarium consequebatur, nec feriebat, *Vivum, inquit, capere vult.* Jungitur amphiboliæ similitudo: ut L. Galba pilam negligenter petenti, *Sic, inquit, petis, <sup>5</sup> tanquam Cæsaris candidatus.* Nam illud petis, ambiguum est securitas similis. Quod hactenus ostendisse satis est. Cæterum frequentissima aliorum generum cum aliis mixtura est: eaque optima, quæ ex pluribus constat. Eadem dissimilium ratio est. Hinc eques Romanus, ad quem in spectaculis bibentem cum misisset Augustus qui ei diceret, <sup>6</sup> *Ego si prandere volo, domum eo: Tu enim, inquit, non times ne locum perdas.* Ex contrario non una species. <sup>7</sup> Neque enim eodem modo dixit

1 *Et panem candidum edo.*] Inde ductus est jocus, quia illi qui in reatu erant, mutatis vestibus atrum inducebant amictum: ac ut toto corpore squalidi viderentur, efficiebant. *Candidus dicitur panis, cui ater est contrarius, quem cibarium appellat Cic. 5. Tusc. Non solum candido sudario tergeo faciem, sed panem etiam candidum edo.* Idem.

2 *Eborea oppida.*] Consuetudo erat ut in triumpho simulachra urbium & regionum captarum ferrentur. Unde Cic. 1. 2. Off. ait *Masiliam in Cæsaris triumpho fuisse per urbem portatam.* Idem. *Eborea oppida.*] Alii, *Eburnea.*

3 *Et Peto.*] C. Pædonis poetæ meminit Fab. alibi, ejusque vitam perscripsit Crinitus. *Turneb.*

4 *De Mirmillone.*] *Mirmillo* dicitur gladiator, qui armaturam habet gallicam, & in galea piscem gestat: cum hoc

committitur alter gladiator qui dicitur *retiarius*: nam habet rete. *Idem.*

5 *Tanquam Cæsaris candidatus.*] Dicebantur quidam *candidati principis, vel Cæsaris*: illi nimirum magistratum petitores, quos Cæsar commendabat populo: quibuscum nonnunquam solebat civiliter prehensare populum per tribus & centurias. Illi igitur ob commendationem & gratiam Cæsaris negligentes erant in prehensando & ambiendo, quia sciebant populum nihil facturum contra voluntatem Cæsaris. Vide plura apud Budæum in *Pand.* Idem.

6 *Ego si prandere, &c.*] Olim apud Romanos non erat probrosus in propatulo coenare, ut docet Valerius *de institutis antiquis*: postea tamen cum invaluisset luxuria, dedecorosum fuit. *Idem.*

7 *Neque enim eodem modo.*] Hoc *Augusti*

dixit Augustus præfecto quem ignominia notabat, subinde interponenti precibus, *Quid respondebo patri meo? Dic me tibi duplicuisse*: quo Galba penulam roganti, *Non possum commodare, domi maneo: cum coenaculum ejus perplueret*. Tertium adhuc illud (si quidem ut ne auctorem ponam, verecundia ipsius facit) *Libidinosior es, quam ullus spado*: quo sine dubio & opinio decipitur: sed ex contrario. Et hoc ex eodem loco est, sed nulli priorum simile, quod dixit Marcus Vestinius, cum ei nunciatum esset, *Aliquando desinet putere*. Onerabo librum exemplis, similemque iis qui risus gratia componuntur, efficiam, si persequi voluero singula veterum. Ex omnibus argumentorum locis eadem occasio est. Nam & *finitione* usus est <sup>3</sup> Augustus de pantomimis duobus, qui alternis gestibus contendebant. cum eorum alterum *saltatorem* dixit, alterum *interpellatorem*. Et partitione Galba, cum penulam roganti respondit, *Non pluit, non est opus tibi: si pluit, ipse utar*. Proinde genere, specie, propriis, differentibus, jugatis, adjunctis, consequentibus, antecedentibus, repugnantibus, causis, effectis, comparatione parium, majorum, minorum, similis materia præbetur. Sicut in tropos quoque omneis cadunt. An non plurima *καὶ ἄτακτα* dicuntur? quale refert <sup>5</sup> Cicero de Memmio homine

præ-

*gusti apophthegma* non dictum esse in præfectum, sed in Herennium adolescentem vitiis notabilem, scribit Macrobius. l. 2. Saturnal. erat autem illa missio ignominiosa, quæ fiebat ob militis vitium. Idem.

1 *Quam ullus spado.*] Cum spado libidinosus esse non possit, quippe quod castratus & excectus sit. Et eunuchi, ut est apud Terentium, sunt magni amatorum mulierum, sed nihil possunt. Idem.

2 *Aliquando desinet putere.*] Locus est corruptus. *Putere*, id est, esse putida. dicit autem de muliere quod de se intellexit. id est, *desinam aliquando ego illi esse putida, & illi aliquando placebo*. Mosellanus tamen legit *pluere*, aliumque efficit sensum, pro eo quod est, non sem-

per adversam fortunam sentire, alludens ad hoc Horat. *Et quandoque pluit deus, & quandoque serenat*. Idem. *Aliquando desinet putere.*] Locus corruptus & vix corrigibilis. *Aliquando desinet putere.*] Deest hic aliquid.

3 *Augustus de Pantomimis.*] Pantomimus appellatur omnium personarum imitator & effector. Jocus in eo, quia aliud est officium saltatoris, aliud mimi. alter igitur Pantomimus nimia gestificatione utebatur, ut saltare videretur: alter ineptus erat, ac saltationem interrumpebat & interpellabat. Turneb.

4 *Non.*] Dan. Si.

5 *Cicero.*] Vide Cicero. 2. de Orat. p. 128. errat.

I Fornicem

prælongo, *caput eum ad<sup>1</sup> fornicem Fabii offendisse*. Et quod P. Oppius dixit de genere Lentulorum, cum assidue minores parentibus liberi essent in nascendo, *<sup>2</sup> decrescere genus Lentulorum. Interim utrunque*. Quid ironia? nonne etiam quæ sit verissima, joci prope genus est? Qua urbane usus est Afer, cum Didio Gallo qui provinciam ambitiosissime petierat, deinde impetrata ea tamquam coactus querebatur, *Age, inquit, aliquid & <sup>3</sup> reipublicæ causâ elabora*. Quaque Cicero usus est, cum Vatini morte nunciata, cujus parum certus dicebatur auctor, *Interim, inquit, <sup>4</sup> usura fruatur*. Idem per allegoriam M. Cœlium melius objicientem crimina quam defendentem, *<sup>5</sup> Bonam dextram, malam sinistram habere dicebat*.<sup>6</sup> Emphasi Livius dixit ferro cotem Accium Navium inci-

inci-

1 *Fornicem Fabii.*] *Fornix Fabii* in via sacra erat ad regiam, ut docet Ascinius. ædificatus est in censura à Fabio, qui vicerat Allobrogas. Porro Cic. sententiam aliquantulum immutat Fab. Memmium enim Cic. dixit *ita magnum fuisse, ut in forum descendens, caput ad fornicem Fabii demitteret*. In quo forte ridiculi ratio est. Id enim stultis hominibus, quod anseribus innatum est, ut per januam transeuntes caput demittant, quantuncunque altum sit limen januæ superius. Turneb. *Ad fornicem Fabii.*] Asc. Pædian. Fornix Fabianus arcus est juxta Regiam sacra via, à Fabio Censore constructus; qui devictis Allobrogibus, Allobrogus nominatus est. Pith. *Ad fornicem Fabii.*] Ad arcum erectum in honorem Fabii. Vid. Plin. hist. natural. lib. 8. & Macrob. Saturnal.

2 *Decrescere genus Lentulorum.*] In aliis auctoribus sic legitur hoc dictum, *vere genus esse Lentulorum*. Lentuli enim appellati sunt à lente, quod est genus leguminis exigui: ac certe hic locus corruptus esse videtur, suntque hæc verba, *decrescere genus Lentulorum*, ab interpretibus addita. Turneb.

3 *Reip. causa elabora.*] Sensus hic fortasse sit, ut cum Didius quereretur de

onere magistratus publici difficulter impetrati, *Age, inquit Afer, aliquid, & reip. causa elabora*. q. d. reip. causa petere voluisti, labora igitur illius causa, cum sciret se commodi, non reip. causa petiisse. Idem.

4 *Usura fruatur.*] Hoc est, ex hoc nuncio fructum. id est, *voluptatem capiam*. Plutarchus in apophth. adjicit, cum postea accepisset Vatini non esse mortuum, Ciceronem dixisse, *male pereat qui male mentitus est*. Idem.

5 *Bonam dextram.*] Metaphora est à militibus ducta, quorum arma sunt gladius & clypeus: gladio adoriuntur hostem, clypeo se tuentur. itaque clypeum comparavit defensionem, gladium accusationi. Idem.

6 *Emphasi Livius dixit.*] Emphasis esse videtur, quia maxime augetur prodigii magnitudo. debuit enim cote ferrum obtundi. quanquam si historiam Livii sequamur, nullus apparet jocus. Quid si Fabius innuat Livium familiari colloquio hunc jocum usurpasse hoc forte modo, *cum aliquis colaphum intulisset, suamque manum oblesisset?* Idem. *Emphasi Livius dicitur ferro, &c.*] Vide Ant. Mur. Variar. Læctio. lib. 19. cap. 6. pag. 1229.

1 Titius

incidisse. Figuras quoque mentis, quæ *χίμαλα δεινοίαι* dicuntur, res eadem recipit omneis, in quas nonnulli diviserunt species dictorum. Nam & interrogamus, & dubitamus, & affirmamus, & minamur, & optamus. Quædam ut miserantis, & quædam ut irascentis dicimus. Ridiculum est autem omne quod aperte fingitur. Stulta reprehendere facillimum est: nam per se sunt ridicula. Sed rem urbanam facit aliqua ex nobis adjectio. Stulte interrogaverat exeuntem de theatro Carpathium <sup>1</sup> Tityus maximus, an spectasset: fecit Carpathius dubitationem ejus stultiorem dicendo: *Non, sed <sup>2</sup> in orchestra pila lusi*. Refutatio cum sit in negando, redarguendo, defendendo, elevando, ridicule negavit Manius Curius. Nam cum ejus accusator, <sup>3</sup> in sipario omnibus locis aut nudum eum in nervo, aut ab amicis redemptum ex alea, pinxisset, <sup>4</sup> *Ergo ego (inquit) nunquam vici*. Redarguimus interim aperte, ut Cicero Vibium Curium, multum de annis ætatis suæ mentientem: *Tum ergo cum una declamabamus, non eras natus*. Interim & simulata assensione, ut idem <sup>5</sup> Fabiæ Dolabellæ dicenti triginta se annos habere, *Verum est*, inquit: *nam hoc jam viginti annis audio*. Belle interim subjicitur pro eo quod neges, aliud mordacius, ut Junius Bassus quærente Domitia Passieni quod incusans ejus sordes, *calceos eam veteres diceret vendere solere: non mehercule*, inquit, *hoc unquam dixit, sed emere te solere*. Defensionem imitatus est eques Romanus, qui obijcienti Augusto quod patrimonium comedisset: *Meum*, inquit, *putavi*. Elevandi ratio est duplex, ut aut veniam quis,

<sup>1</sup> Tityus.] Alii, Tyrius. Pass.

<sup>2</sup> In orchestra.] Orchestra. id est, saltatorium, locus est juxta scenam, unde spectabant senatores. in orchestra autem saltatores solent gesticulari, nec illic pila luditur. Turneb.

<sup>3</sup> In Sipario.] Siparium appellat Donatus minutum velum, quod obstitit populo dum fabularum actus commutantur. accipitur pro quocumque velo. Idem.

In Sipario.] Id est, Velo mimico.

<sup>4</sup> Ergo ego nunquam vici.] Quum enim in alex ludo fortuna dominetur, vix fieri possit quin aliquando vicerit, qui tam sæpe ludendo perdiderit. Turneb.

<sup>5</sup> Fabia Dolabellæ.] Vel uxori, seu filia Dolabellæ, ut Deiphobe Glauco, & Hectoris, Andromache. Quod dicendi genus ut poëtis familiare, ita oratoribus fere ignotum est. Idem.



quis, aut jactantiam minuat: <sup>1</sup> quemadmodum C. Cæsar Pomponio ostendenti vulnus ore exceptum in seditione Sulpitiana, quod ipse se passum pro Cæsare pugnantem gloriabatur, *Nunquam fugiens respexeris, inquit.* Aut crimen objectum, ut Cicero objurgantibus quod sexagenarius Popiliam virginem duxisset, <sup>2</sup> *Cras mulier erit, inquit.* Hoc genus dicti, *consequens* vocant quidam, atque illi simile, & quo Cicero Curionem semper ab excusatione ætatis incipientem, <sup>3</sup> *facilius* quotidie proæmum habere dixit: *quia ista natura sequi & coherere videantur.* Sed elevandi genus est etiam caussarum relatio, qua Cicero est usus in Vatinius, qui pedibus æger, cum vellet videri commodioris valetudinis factus, & diceret se jam bina millia passuum ambulare: <sup>4</sup> *Dies enim, inquit, longiores sunt.* Et Augustus nuntiantibus Tarraconensibus palmam in ara ejus enatam, *Apparet, inquit, quam sæpe <sup>5</sup> accendatis.* Transtulit crimen Cassius Severus. Nam cum objurgaretur à prætore, quod advocati ejus L. Varro Epicureo Cæsaris amico convitium fecissent, *Nescio, inquit, qui convitati sint: & <sup>6</sup> puto Stoicos fuisse.* Repercutiendi multa sunt genera: venustissimum, quod etiam similitudine aliqua verbi adjuvatur: ut Thracallus dicenti Suellio, *Si hoc ita est, is in exilium: <sup>7</sup> si non est ita,*

<sup>1</sup> *Quemadmodum C. Cæsar, &c.]* Macrob. lib. 2. Saturn. hoc dictum attribuit Augusto Cæsari, Fabius vero tribuere videtur illi. C. Julio Cæsari, qui vixit tempore Crassi oratoris, & in lib. de Orat. disputat. ejus enim ætate P. Sulpitius maximam excitavit seditionem in republica. *Idem.*

<sup>2</sup> *Cras mulier erit.]* Ex hoc loco colligit Valla, mulierem esse quæ nupserit. Cælius tamen jurisconsultus nomine mulieris etiam virginem intelligit viri-potentem. *Idem.*

<sup>3</sup> *Facilius quotidie, &c.]* Nam quotidie provehebatur ætas, & exercitatio assidua eorundem exordiorum facultatem augebat. *Idem.*

<sup>4</sup> *Dies longiores sunt.]* Hoc etiam di-

ctum Macrob. attribuit Augusto. jocus autem est ex eo quod prolixiori tempore plus itineris solemus emetiri. *Idem.*

<sup>5</sup> *Accendatis.]* Augusto etiam vivo decreti sunt honores divini, decretæ sunt horæ. cæterum palma foelicitatis est & victoriæ signum. id tamen aliorum retulit Augustus, nimirum ad negligentiam Tarraconensium, qui nunquam in illa ara sacrificarent, alioqui enim palma non crevisset. *Idem.*

<sup>6</sup> *Puto Stoicos fuisse.]* Causa joci est ex eo quod Stoici & Epicurei inter se similitates gerunt propter dogmarum similitudinem. Stoici enim virtutem asserunt, Epicurei voluptatem. *Idem.*

<sup>7</sup> *Si non est ita, redii.]* Thracallus orator

*ita, redii, inquit.* Elusit Cassius Severus obiciente quodam quod ei domo sua Proculejus interdixisset, respondendo, *Nunquid ego illyc accedo?* Sic eluditur & ridiculum ridiculo, ut divus Augustus, cum ei Galli torque aureum centum pondo dedissent, & Dolabella per jocum, tentans tamen joci sui eventum, dixisset, *Imperator, torque me dona.* <sup>1</sup> *Malo te inquit, civica donare.* Mendacium quoque mendacio: ut Galba dicente quodam <sup>3</sup> Victoriato se uno in Sicilia quinque pedes longam murenam emisse. *Nihil, inquit, mirum: nam ibi tam longa nascuntur, ut is piscatores pro restibus utantur.* Contraria est neganti confessionis simulatio, sed ipsa quoque multum habet urbanitatis. Sic Afer cum ageret contra libertum Claudii Cæsaris & ex diverso quidam conditionis ejusdem cujus erat litigator, exclamasset, *Præterea tu semper in libertos Cæsaris dicis?* <sup>4</sup> *Nec mehercule, inquit, quicquam proficio* Cui vicinum est, non negare quod obicitur, cum & id palam falsum est, & inde materia bene respondendi datur: ut Catulus dicenti Philippo, *Quid latras?* <sup>5</sup> *Furem video, inquit.* In se dicere, non est fere nisi scurrarum, & in oratore utique minime probabile. Quod fieri totidem modis, quot in alios, potest. Ideoque hoc, quamvis frequens sit transeo. Illud vero etiam si ridiculum, indignum tamen est homine liberali, quod aut turpiter, aut impotenter dicitur: quod fecisse quendam scio, qui humili

orator fuit facundissimus suavissimæ vocis. inde proverbium, *Thracallo vocalior.* Idem.

<sup>1</sup> *Torque me dona.*] Joci causa pendet ex re militari. nam equitibus externis & auxiliariis, qui bene se gesserant in bello, torques aurei dabantur, ut Romanis argentei. addebantur etiam simplæ annone, aut duplæ. Inde torquati simplæ & duplæ apud Vegetium dicuntur. Idem.

<sup>2</sup> *Malo te civica, &c.*] Jocus est ex eo quod civica corona his dabatur qui civem in prælio servassent. erat autem ex querennis frondibus aut ilignis. Idem.

<sup>3</sup> *Victoriato.*] *Victoriatu* nummus est appellatus à victoriæ signo, ut docet Plinius. olim dicebatur *quinarius.* est enim dimidium denarii, ac valet quinos asses. Idem.

<sup>4</sup> *Nec quicquam proficio.*] Vel quia illi contra quos dico, semper causam obtrinent, semper absolvuntur: vel quia non mutant malos mores. Idem.

<sup>5</sup> *Furem video.*] Hoc non videtur retorqueri in Philippum. nec enim verisimile est eum furem fuisse. debet igitur referri ad eum hominem, quem tum in causa forte defendebat Philippus. Vide *Cic. 2. de Orat.* Idem.

liori libere adversus se loquenti, <sup>1</sup> *Colaphum*, inquit, *tibi ducam*, & *formulam scribam*, quod *caput durum habeas*. Hic enim dubium est, utrum ridere audientes, an indignari debuerint. Superest genus decipiendi opinione, aut dicta aliter intelligendi, quæ sunt in omni hac materia vel venustissima. Inopinatum & à laceffente poni solet: quale est quod refert Cicero, <sup>2</sup> *Quid huic abest, nisi res & virtus?* Aut illud Afri, *Homo in agendis causis* <sup>3</sup> *optime vestitus*. Et in occurrendo, <sup>4</sup> ut Cicero audita falsa Vatini morte, cum Ovinium libertum ejus interrogasset, *Recte ne omnia?* dicenti, *Recte*, <sup>5</sup> *Mortuus est*, inquit. Plurimus autem circa simulationem & dissimulationem risus est, quæ sunt vicina, & prope eadem, sed *simulatio* est certam opinionem animi sui imitantis: *dissimulatio*, aliena parum se intelligere fingentis. Simulavit Afer, qui cum in causa subinde dicentibus *Celsinam* dicere, cognovisset quod erat potens scæmina: *Quis est*, inquit *iste?* *Celsinam enim videri sibi virum sinxit*. Dissimulavit Cicero, cum Sex. Annalis testis reum læsisset, & instaret identidem accusator ei, *Dic M. Tulli, nunquid potes de Sexto Annali?* Versus tunc dicere cœpit de libro Ennii annali sexto,

*Qui potis ingentis* <sup>6</sup> *causas evolvere belli.*

Cui sine dubio frequentissimam dat occasionem ambiguitas, ut Casselio, qui consultori dicenti, <sup>7</sup> *Navem dividere volo:*

*Perdes,*

<sup>1</sup> *Colaphum tibi ducam.*] *Colaphum ducere Fab.* dixit, quod Gellius appellat uno verbo *depalmare*. at *scribere formulam* est actionem intendere & formulam, in jusque vocare. dicitur etiam *dicam scribere*. Idem. *Colaphum tibi ducam.*] Vide Turneb. *Adversar.* l. 28. c. 31. pag. 1076.

<sup>2</sup> *Quid huic abest.*] Hoc item Cic. est 2. *de Orat.* Priora in laude & commendatione ponuntur, sed exceptio quæ præter opinionem additur, efficit insignem vituperationem. dicitur autem de pauperrimis & flagitiosissimis, quibus nihil magis deest quam res & virtus. *Res*

enim pro divitiis sæpe dicitur, ut apud eundem Cic. hoc in joco, *homo fatuus postquam rem habere cœpit, mortuus est.* Turneb.

<sup>3</sup> *Optime vestitus.*] *Vestitus* præter expectationem est dictum. dicendum enim erat, *optime exercitatus*, aut *optime versatus*, aut *optime paratus*. Idem.

<sup>4</sup> *Ut Cicero.*] 2. *De Orat.*

<sup>5</sup> *Mortuus est.*] Cic. recte illud referebat ad *Vatini mortem*, quam sibi utilem putabat: libertus contra ad *Vatini salutem*. Turneb.

<sup>6</sup> *Causas.*] Alii, *Oras*. Macrob.

<sup>7</sup> *Navem dividere volo: Perdes.*] Vide Gebhard,

<sup>1</sup> *perdes, inquit.* Sed averti intellectus etiam aliter solet, cum ab asperioribus ad leniora deflectitur: ut qui interrogatus quid sentiret de eo qui in adulterio deprehensus esset, <sup>2</sup> *Tardum fuisse respondit.* Ei confine est quod dicitur per suspicionem: quale illud apud Ciceronem, querenti quod uxor sua è fico se suspendisset: *Rogo des mihi surculum ex illa arbore, ut inseram.* <sup>3</sup> Intelligitur enim quod non dicitur. Et hercle omnis false dicendi ratio in eo est, ut aliter quam est, rectum verumque dicatur. Quod fit totum fingendis aut nostris aut alienis persuasionibus, aut dicendo quod fieri non potest. Aliena finxit Juba, qui querenti quod ab ab equo suo esset aspersus, *Quid tu, inquit, me <sup>4</sup> Hippocentaurum putas?* Sua C. Cassius, qui militi sine gladio discurrenti, *Heus commilito, <sup>5</sup> pugno bene uteris, inquit.* Et Galba de piscibus, qui cum pridie ex parte adesi, & versati postero die oppositi essent, *Festinemus, alii subcœnant, inquit.* Tertium illud Ciceronis (ut dixi) adversus Curium. *fieri enim certe non poterat, ut cum declamaret, natus non esset.* Est & illa ex ironia fictio, qua usus est C. Cæsar. Nam cum testis diceret, à reo fœmina sua ferro petita, & esset <sup>6</sup> facilis

Gebhard. Crepund. libro 3. capite 1. p. 104.

<sup>1</sup> *Perdes, inquit.*] Sic apud Macrob. lib. 2. scribitur, *si navem dividis, nec tu nec socius habebitis.* consultor intelligebat de dividenda navis æstimatione, Cassellius de dividendo navis corpore. Quod Labeonem, qui Antiocho bellum superaverat, fecisse, auctor est Valer. Maxim. lib. 7. de dictis. qui isto fœdere cum dimidiam navium partem habere debuisset, dimidias omnes secuit, ut tota cum classe privaret. Turneb.

<sup>2</sup> *Tardum fuisse respondit.*] Alter existimabat illum judicaturum ac respondurum gravi poena adulterum esse afficiendum, aliorum tamen intellectum avertit. *tardum* enim esse dixit qui non fugisset antequam deprehenderetur. Et hoc Cic. 2. de Orat. sicut & hoc quod mox sequitur. Idem.

<sup>3</sup> *Intelligitur enim.*] Nam intelligitur odium uxoris. optat igitur maritus *surculum*, ut inde se in posterum uxor suspendat. Idem.

<sup>4</sup> *Hippocentaurum.*] Fingunt poëtæ *Hippocentaurus* monstra fuisse in Thessalia, quorum pars superior esset humana, inferior equina. significavit igitur Juba in sua non esse potestate prohibere ne equus aspergeret, neque id sibi vitio vertendum esse. non enim erat unum corpus *equi* & *Jubæ*, quemadmodum est unum corpus *Hippocentauri*. Idem.

<sup>5</sup> *Pugno bene uteris.*] Finxit sibi esse persuasum, militem qui currebat, ad pugnam ire: cumque gladio careret, eum pugno usurum. Idem.

<sup>6</sup> *Facilis reprehensio.*] Aut quod reus *testem* interficere noluisse, aut quod ex illa parte significari posset *testis libido*. Idem.

lis reprehensio cur illam potissimum partem corporis vulnerare voluisset: *Quid enim faceret, inquit, cum tu galeam & loriam haberes?* Vel <sup>1</sup> optima est simulatio contra simulationem: qualis illa Domitii Afri fuit: <sup>2</sup> Vetus habebat testamentum, & unus ex amicis recentioribus sperans aliquid ex mutatione tabularum, falsam <sup>3</sup> tabulam intulerat, consulens eum, an <sup>4</sup> primipilaris ei testamento suaderet ordinare suprema judicia, <sup>5</sup> *Noli, inquit, facere: offendis illum.* Jucundissima sunt autem ex his omnibus lenia, & (ut sic dixerim) <sup>6</sup> boni stomachi: ut Afer ingrato litigatori conspectum ejus vitanti in foro, per nomenclatorem missum ad eum, <sup>7</sup> *Amas me, inquit, quod te non vidi?* <sup>8</sup> Et dispensatori, qui <sup>9</sup> cum ad reliqua non responderet, dicebat subinde: *Non comedi panem, & aquam bibo.* <sup>10</sup> *Pasce, & redde quod*

<sup>1</sup> *Optima est simulatio contra simulationem, &c.*] Est hic locus subobscurus, sed potest *primipilaris testamentum* bifariam accipi: vel pro eo testamento, quo miles hærede primipilari instituto, commilitonibus partem bonorum legavit. vel pro testamento quo primipilaris Imperatorem scripsit hæredem, amicis legata dedit. utrovīs modo accipias clara mens hujus captatoris. *Casaub.*

<sup>2</sup> *Vetus habebat testam.*] Plinius Cæcilius in *epistolis* lib. 8. ad *Rufinum*, ait Domitium Afrum testamentum improbasse quod decimo octavo ante anno fecisset, in quo Lucanum & Tullum Domitios fratres hæredes scripserat & adoptarat. De hoc testamento loqui videtur Fabius. *Turneb.*

<sup>3</sup> *Tabulam.*] Alii, *Fabulam.*

<sup>4</sup> *Primipilaris.*] *Primipilus* apud Romanos dicitur, qui in prima cohorte legionis quadringentis præest militibus, diciturque *legionis caput.* *Turneb.*

<sup>5</sup> *Noli, inquit, facere.*] Alia simulatione Domitius captatorem elusit. illi enim suavit ne testamentum faceret, cum id alter non rogasset. detexit igitur hominis fucos & captationem. *Idem.*

<sup>6</sup> *Boni stomachi.*] Id est *boni stomachi*, quod est leve, gratum, & suave: *mali stomachi*, quod est acerbum, asperum, ingratum. Metaphora est ducta ab his quæ in ventriculo & stomacho concoquantur. Et hoc *Cic. 2. de Orat. Idem.*

<sup>7</sup> *Amas me.*] Exprobravit illi *ingratitude*, quod bene meriti conspectum fugeret, ne gratias agere cogeretur. *Idem. Amas me, inquit, quod te.*] *Turneb. Adversar. lib. 21. cap. 27. pag. 704. Amas me inquit quod te non vidi.*] Gratium mihi fecisti. Vide *Turneb. Adversar. lib. 20. cap. 27.*

<sup>8</sup> *Et dispensatori qui cum reliqua non responderet, dicebat subinde, non comedi, &c.*] Sic legend. *Salmas. Hist. Aug. p. 16.* Reliqua respondere dicitur, qui reliquum solvit, & parem rationem facit.

<sup>9</sup> *Cum ad aliqua non responderet.*] Legit *Erasmus*, cum ad reliqua: quæ lectio verior esse videtur. *reliqua* enim dicuntur quando non tantum est expensum, quantum acceptum: unde *reliquatores*, *Turn.*

<sup>10</sup> *Pasce & redde quod debes.*] *Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 1. pag. 104. ex MS. Palat. legit: Passer redde quod debes.*

I Y 704

quod debes. Quæ Ἰπαζωγῆς vocant. Et gratus jocus, qui minus exprobrat quam potest: ut idem dicenti candidato, *Semper domum tuam colui*: cum posset palam negare, *Credo*, inquit, & *verum est*. Interim de se dicere, ridiculum est: & quod in alium, si absentem diceret, urbanum non esset, quoniam ipsi palam exprobratur, movet risum: quale Augusti est: cum ab eo miles nescio quid improbe peteret, veniret contra Martianus, quem suspicabatur & ipsum aliquid injuste rogaturum: *Non magis*, inquit, *faciam commilito, quæ petis, quam quod Martianus à me petiturus est*. Adjuvant urbanitatem & versus commode positi, seu toti ut sunt: quod adeo facile est, ut Ovidius ex tetrasticho Macri carmine librum in malos poetas composuerit, quod fit gratius, si qua etiam ambiguitate conditur: ut Cicero in <sup>3</sup> Accium hominem callidum & versutum, cum is in quadam causa suspectus esset, <sup>3</sup> *Nisi qua Ulysses* <sup>4</sup> *rate evasit Laërtius*. Seu verbis ex parte mutatis, ut in eum qui cum antea stultissimus esset habitus, post acceptam hereditatem primus sententiam rogabatur, <sup>5</sup> *Cujus hereditas est, quam vocant sapientiam*: pro illo, facultas est. <sup>6</sup> Seu fictis novis versibus. Simile est quod <sup>7</sup> *παρρησία* dicitur, & proverbia opportune aptata, ut de homine in aquam lapsa, & ut allevaretur roganti, <sup>8</sup> *Tollat te, qui non novit*. \* Ex historia etiam ducere urbani-

1 Ἰπαζωγῆς vocant.] Quod qui iis utitur, quodammodo subigit eum quem videt. Turneb.

2 Accium hominem callidum, &c.] Vide Jan. Gebhard. Crepund. l. 2. c. 18. pag. 102.

3 Nisi qua Ulysses, &c.] Versus hic est ex aliqua tragœdia. Sensus est, Ulysses dolis Cyclope excacato & nave conscensa periculum evasisse: eundem sua calliditate evasisse Charybdim & Scyllam. sic etiam elapsam esse Accium dolis. Turnebus.

4 Rate.] Alii, *Arce*.

5 Cujus hereditas est.] Versus est alicujus tragici, *Cujus facultas quam vocant*

sapientiam: quem Cicero immutavit, quia stultus ille partis divitiis jam sapiens habebatur, quasi divitiarum parent sapientiam. Turneb.

6 Seu fictis novis versibus. Simile.] Muret. olim codex, rectius *Seu ficti nativis versibus similes*: quod *παρρησία* dicitur. Variar. lection. lib. 19. cap. 6. pag. 1229. Pet. Mosellan. p. 192. &c.

7 Παρρησία.] In hoc genus conjiciuntur & proverbia Cic. 2. de Orat. Turneb.

8 Tollat te, qui non novit.] Proverbium est, quod concinne usurpamus cum significamus alicujus dolos nobis esse compertos, neque ab illo nobis imponi

urbanitatem, eruditum: ut Cicero fecit, cum ei testem in iudicio Verris roganti dixisset Hortensius, *Non intelligo hæc enigmata. Atqui debes, inquit, cum Sphingem domi habeas.* Acceperat autem ille à Verre <sup>1</sup> Sphingem æneam magnæ pecuniæ. Subabsurda illa constant stultis simili imitatione, & quæ nisi fingantur, stulta sunt: ut qui mirantibus quod humile candelabrum emisset, <sup>2</sup> *Pransorium erit, inquit.* Sed illa similia absurdis sunt acria, quæ tanquam sine ratione dicta feruntur, ut servus Dolabellæ cum interrogaretur an dominus ejus auctorem proposuisset, <sup>3</sup> *Domum, inquit, vendidit.* Deprehensi interim pudorem suum ridiculo aliquo explicant: ut qui testem dicentem se à reo vulneratum, interrogaverat an cicatrices haberet: cum ille ingentem in femore ostendisset, <sup>4</sup> *Latus, inquit, oportuit.* Contumeliis quoque uti belle datur: ut Hispo objicienti <sup>5</sup> bis acerba crimina accusatori, *Mentiris inquit.* Et Fulvius propinquus legato interroganti, an in tabulis quas proferebat, chirographus esset: <sup>6</sup> *Et verus, inquit, domine.* Has aut accipi species, aut inveni frequentissimas, ex quibus ridicula ducerentur. Sed repetam necesse est infinitas esse tam false dicendi quam severe, quas præstat *persona, locus, tempus, casus* denique, qui est maxime varius. Itaque hæc ne omisisse viderer,

poni posse. vide *Erasm. Cbiliad.* Idem. *Tollat te, qui non novit.*] Horat. Epistol. ad Savian.

\* *Ex historia.*] Plutarchus in vita Cicer.

<sup>1</sup> *Sphingem æneam.*] Ductus est jocus à fabula *Thebanae Sphingis*, quæ enigmata proponebat viatoribus & prætereuntibus. hoc in Plutarch. apophthegm. Turneb.

<sup>2</sup> *Pransorium erit.*] Humile candelabrum non ita diffundit lucem, itaque noctu pene est inutile. dixit igitur fore *pransorium*, quum ipso meridie lucerna non egeamus. Turneb.

<sup>3</sup> *Domum vendidit.*] Sic acerbe notavit herum servus, significans illum jam omnia bona vendidisse. solent siquidem

ultima venditari ædes quas aliquis incolat. Idem.

<sup>4</sup> *Latus, inquit, oportuit.*] Significavit illum testem non esse dignum tantulo vulnere, sed letali & mortifero: vel quod latera, non femora facilius concuti soleant: quare in lateribus potius erant ostendendæ cicatrices quam in femoribus: quod cum superiore dicto convenit. vel ad pudorem hæc referenda. Idem.

<sup>5</sup> *Bis acerba.*] *Objicientibus arbore.* Pith.

<sup>6</sup> *Et verus Domine.*] Contumelia est in verbo *Domine*. vocem enim illam existimabant Romani *tyrannicam*. quocirca Augustus vetuit ne dominus appellaretur: & Domitianus cum ipse tyrannus esset, se dominum & deum appellari jussit. Turneb.

derer, attigi: illa autem quæ de usu ipso & modo jocandi complexus sum, adeo infirma, sed plane necessaria. <sup>1</sup> His adjicit Domitius Marfus, qui *de urbanitate* diligentissime scripsit, quædam non ridicula, sed cuilibet severissimæ orationi convenientia eleganter dicta, & proprio quodam lepore jucunda: quæ sunt quidem *urbana* sed risum tamen non habent. Neque enim ei *de risu*, sed *de urbanitate* est opus institutum, quam proprium esse nostræ civitatis ait: & sero sic intelligi cœptam, <sup>2</sup> postquam *Urbis* appellationem, etiam si nomen proprium non adjiceretur, *Romam* tamen accipi sit receptum. Eamque sic finit, *Urbanitas est virtus quædam in breve dictum coacta, & apta ad delectandos movendosque homines in omnem affectum, maxime idonea ad resistendum, vel laceffendum, prout quæque res ac persona desiderat.* <sup>3</sup> Cui si brevitas exceptionem detraxeris, omneis orationis virtutes complexa sit. Nam sic constat rebus & personis: & quod in utrisque oporteat dicere, perfectæ eloquentiæ est. Cur autem *brevem* eam esse voluerit, nescio quidem. At quam in eodem libro dicat fuisse, & in multis narrandi urbanitatem, paulo post ita finit Catonis (ut ait) opinionem sequutus, *Urbanus homo erit, cujus multa bene dicta responsaque erunt: & qui in sermonibus, circulis, conviviiis, item in concionibus, omni denique loco ridicule commodeque dicet.* Risus erunt, quicumque hæc faciet orator. <sup>4</sup> Quas si recipimus fini-

<sup>1</sup> His adjicit Domitius.] Præter superiora ridicula, quandam ponit Domitius Marfus *seriam urbanitatem*, quæ venustas est quædam & suavitas, quæ oratio quoque gravis conditur: neque tamen usque quæque ad stipulabitur Fab. Marso. *Idem.*

<sup>2</sup> Postquam Urbis appellationem.] Quemadmodum *urbs* per antonomasiam significat *Romam*, ita quoque *urbanitas* proprie significat *lepiditatem sermonis urbis Romæ*, non aliorum oppidorum, ut *Atticismus* elegantiam sermonis Athenarum. *Idem.*

<sup>3</sup> Cui si brevitas, &c.] Male adjicit definitioni *brevitatis exceptionem*, cum præsertim urbanitas non solum in dicto brevi conspiciatur, sed interdum etiam in longa expositione. *Idem.*

<sup>4</sup> Quas si recipimus finitiones.] Fabius Marfi definitionem, ut plura quam oporteret comprehendentem, reprehendit, aitque *urbanitatem* positam esse in libero orationis lepore ac suavi colore: aut si redigenda est ad breviter illam, ex genere ridiculorum esse, quæ tamen ridicula non sint. *Idem.*



finitiones, quicquid bene dicitur & urbane, *dicti* nomen accipiet. Cæterum illi qui hoc proposuerat, consentanea fuit illa divisio, ut dictorum urbanorum alia *seria*, alia *jocosa*, alia *media* faceret. Nam eadem est omnium bene dictorum. Verum mihi etiam *jocosa* quædam videntur posse non satis urbane referri. Nam meo quidem iudicio, illa est *urbanitas*, in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque sensu, neque verbis, neque ore gestive possit deprehendi: ut non tam sit in singulis dictis, quam in toto colore dicendi, qualis apud Græcos atticissimos ille redolens Athenarum proprium saporem. Ne tamen iudicium Marci hominis eruditissimi subtraham, *seria* partitur in tria genera, *honorificum*, *contumeliosum*, *medium*. Et honorifici ponit exemplum Ciceronis quoque pro Ligario apud Cæsarem, <sup>1</sup> *Qui nihil soles oblivisci, nisi injurias*. Et contumeliosi, quod Attico scripsit de Pompejo & Cæsare, <sup>2</sup> *Habeo quem fugiam, quem sequar non habeo*. Et medii, quod *ἀποφεύγειν* vocat, & est cum ita dixit, *Neque gravem mortem accidere forti viro posse, neque immaturam consulari, neque miseram sapienti*. Quæ omnia sunt optime dicta: sed cur proprie nomen *urbanitatis* accipiant, non video. Quod si non solum totus (ut mihi videtur) orationis color meretur, sed etiam singulis dictis tribuendum est: illa potius *urbana* esse dixerim, quæ sunt generis ejusdem, quæ *ridicula* dicuntur, & tamen *ridicula* non sunt: ut de Pollione Asinio ferriis *jocisque* pariter accomodato dictum est, <sup>3</sup> *Esse eum omnium*

<sup>1</sup> *Qui nihil soles oblivisci, &c.*] Nihil honorificentius dici potuit. simul enim *memoriam ingeniumque Cæsaris* commendat, & *clementiam*, quæ duæ virtutes fuerunt in Cæsare præstantissimæ, ut meminit Plin. lib. 7. *Idem*.

<sup>2</sup> *Habeo quem fugiam.*] Vel significat utrumque, *Cæsarem & Pompejum*, esse fugiendum, ut qui contenderent de ambitione principatus: vel significat fugiendum *Cæsarem* ut patriæ hostem, neque protinus sequendum *Pompejum*, cu-

jus partibus diffidebat. Cic. hoc utitur lib. *Epist. ad Atticum* 8. *Idem. Habeo quem fugiam.*] In *Catili orat.* 4.

<sup>3</sup> *Esse eum omnium horarum.*] Sic appellatur qui se his accommodat quibuscum agit, atque inter remissos est factus, inter severos *serius*, facilitate quadam naturæ & proprietate. *Turneb. Esse eum omnium horarum.*] Vid. *Aul. Gellium* lib. 12. *Noct. Attic. cap. 4.* & *Erasmii Adagia*.

*nium horarum.* Et de actore facile dicente ex tempore, <sup>1</sup> *Ingenium eum in numerato habere.* Etiam Pompeji quod refert Marfus, in Ciceronem diffidentem ejus partibus, *Transi ad Casarem*, <sup>2</sup> *me timebis.* Erat enim, si de re minore aut alio animo, aut denique non ab ipso dictum fuisset, quod posset inter ridicula numerari. Etiam illud quod Cicero Cereliæ scripsit, reddens rationem cur illa C. Cæsaris tempora tam patienter toleraret: <sup>3</sup> *Hæc aut animo Catonis ferenda sunt, aut Ciceronis stomacho.* Stomachus enim ille habet aliquid joco simile. Hæc quæ movebant, dissimulanda mihi non fuerunt: in quibus ut erraverim, legentes tamen non decepti, indicata diversa opinione, quam sequi magis probantibus liberum est.

<sup>1</sup> *Ingenium eum in numerato habere.*] Sic commendatur *extemporalis facultas.* ducta est *metaphora* à locupletibus viris, qui pecuniam habent præsentem, numeratam, atque in promptu: ut actor ille semper ad manum habebat quæ dicenda erant ex tempore. *Turneb.*

<sup>2</sup> *Me timebis.*] Ideo hoc dicit Pompejus, quia assidue Ciceronis scomma-

tibus incessèbatur. Vide *Macrob. lib. 2. Saturn.* Idem.

<sup>3</sup> *Hæc autem animo Catonis.*] Significat aut abrumpendam esse vitam, quo pacto *Cato Uticensis*, ne in Cæsaris manus veniret, mortem sibi conscivit: aut concoquenda hæc esse atque dissimulanda. *Metaphora* est ducta à *stomacho*, qui cibos plerunque acerbos & ingratos concoquit. *Idem.*

C A P. I V.

De altercatione.

**A**ltercationis præcepta poterant videri tunc inchoanda, cum omnia quæ ad continuam orationem pertinent, peregrissem: nam est usus ejus ordine ultimus: sed cum sit posita in sola inventione, neque habere dispositionem possit, nec elocutionis ornamenta magnopere desideret, aut circa memoriam & pronunciationem laboret: prius quam secundam quinque partium, hanc quæ tota ex prima pendet,

Rationem reddit quamobrem hoc loco de altercatione agat, quæ est contentatio quædam contentiosa more dialogi, quæ fieri solet ab utriusque partis

patrono post perpetuam actionem. Fabius quoque altercationes scripserat, quas in suas manus venisse scribit Rodolphus. *Turneb.*

3 De

det, tractaturus non alieno loco videor: quam scriptores ideo fortasse alii reliquerunt, quia satis cæteris perceptis, in hac quoque videbatur esse profectum. Constat enim aut intentione, aut depulsione, <sup>1</sup> de quibus satis traditum est, quia quicquid in actione perpetua circa probationes utile est, <sup>2</sup> id & in hac brevi atque concisa proficit necesse est. Neque alia dicuntur in altercatione, sed aliter, aut interrogando, aut respondendo. <sup>3</sup> Cujus rei fere omnis observatio in illo testium loco excussa nobis est. Tamen quia latius hoc opus aggressi sumus, neque perfectus orator sine hac virtute dici potest, paululum impendamus huic quoque peculiaris operæ, quæ quidem in quibusdam causis ad victoriam vel plurimum valet. <sup>4</sup> Nam ut in qualitate generali, in qua rectene factum quid, an contra sit, quæritur, perpetua dominatur oratio, & quæstionem finitionis actionis plerunque satis explicat, & omnia pene in quibus de facto constat, aut conjectura artificiali ratione colligitur: ita in iis causis (quæ sunt frequentissimæ) quæ vel solis extra artem probationibus, vel mistis continentur, asperrima in hac parte dimicatio est, nec alibi dixeris <sup>5</sup> magis mucrone pugnari. Nam & firmissima quæque memoriæ iudicis inculcanda sunt, & præstandum quicquid in actione promissimus, & refellenda mendacia. Nusquam est denique qui cognoscit, intentior. Nec immerito quidam, quanquam in dicendo mediocres, hac tamen altercandi præstantia meruerunt nomen *patronorum*. <sup>6</sup> At quidam litigatoribus suis

<sup>1</sup> De quibus.] Lib. 3.

<sup>2</sup> Id & in hac brevi, &c.] Ex hoc Fabii loco colligit Agricola illos errare, qui perpetuam orationem *rhetoribus* tribuant, concisam *dialecticis*. hac enim re non videntur discrepare, sed potius ornatu & probabilitate. Turneb.

<sup>3</sup> Cujus rei.] Lib. 5. cap. 7.

<sup>4</sup> Nam ut in qualitate.] In quæstione qualitatis & finitionis altercatio locum non habet, sed in quæstione *conjecturali*, quæ probationibus confirmatur inarti-

ficialibus. potest tamen accidere nonnunquam ut in illis quæstionibus *altercatione* sit opus, si oratio perpetua non satis exposuerit causam. Turneb.

<sup>5</sup> Magis mucrone pugnari.] Liv. lib. 2. Cum pilis inter primam festinationem abjectis, magis quam emissis, pugna jam in manus, jam ad gladios, ubi Mars est atrocissimus, venerat. Pith.

<sup>6</sup> At quidam.] Reprehendit quosdam sui temporis patronos, qui cum ad ostentationem causas dicerent, gloriam

suis illum modo ambitiosum declamandi sudorem præstitisse contenti, cum turba laudantium destituunt subsellia, pugnamque illam <sup>1</sup> decertatoriam imperitis <sup>2</sup> ac sæpe <sup>3</sup> pullatæ turbæ relinquunt. Itaque videas alios plerunque judiciis privatis *ad actiones* vocari, alios *ad probationes*. Quæ si dividenda sunt officia, hoc certe magis necessarium est: pudendumque dictu, si plus litigatoribus profunt minores. <sup>4</sup> In publicis certe judiciis vox illa præconis, *præter patronos, ipsum qui egerit, citat*. Opus est igitur in primis ingenio veloci ac mobili, animo præsentis & acri. Non enim cogitandum, sed dicendum statim est, & prope sub conatu adversarii, <sup>5</sup> manus erigenda. Quare cum in omni parte hujusce officii plurimum facit, totas non diligenter modo, sed etiam familiariter nosse causas, tum *in altercatione* maxime necessarium est, omnium *personarum, instrumentorum, temporum, locorum habere notitiam*: alioqui & tacendum est sæpe, & aliis subjicientibus, plerunque studio loquendi fatue modo accedendum: quo nonnunquam accidit ut in nostra credulitate, <sup>6</sup> aliena studia erubescamus. Neque tantum hoc ipsis <sup>7</sup> monitoribus clarescit: quidam faciunt aperte quod rixemur.

Videas

riam ferebant nonnullam perpetua oratione, *in altercationibus* vero imperiti erant. Turneb.

<sup>1</sup> *Decertatoriam.*] In aliis legitur *decretoriam*, quæ lectio etiam probabilis est, quia *altercatio* maxime decernit de victoria. sic appellantur à Plinio *decretoria sidera*, quæ pollicentur aut copiam aut inopiam frugum. *Idem. Decertatoriam.*] *Decretoriam.* Pith.

<sup>2</sup> *Ac sæpe pullatæ turbæ.*] Plin. lib. 7. Epist. ad Celerem: *Nam illos quoque sortidos pullatosque reveremur.* Pith.

<sup>3</sup> *Pullatæ turbæ.*] *Pullatam* appellamus *turbam*, ipsos imperitos. vulgus enim Romæ olim dimissis togis *pullum* induerat *amiclum*. hic tamen intelliguntur *pragmatici*: oratores enim erant *purpurati*. Turneb.

<sup>4</sup> *In publicis.*] In publicis judiciis

post peroratam utrinque causam præconis solet patronos *ad altercationem* vocare: cumque plures sint alicujus causæ patroni, tamen actorem causæ nominatim citat, ut illi videatur turpe si altercari non possit. *Idem.*

<sup>5</sup> *Manus erigenda.*] *Metaphora* ducta est à *gladiatoribus*, qui simul atque adversarius ictum minatur, manum solet erigere ad sustinendum. *Idem.*

<sup>6</sup> *Aliena studia erubescamus.*] Cum *altercator* causam penitus perspectam non habet, si quis *fautor* aut *pragmaticus*, benevolus quidem, sed parum causæ gnarus, aliquid suggerat, fidem interdum habebit altercator. neque enim refragari volumus iis quos nobis esse benevolos scimus. *Idem.*

<sup>7</sup> *Monitoribus.*] *Monitores* appellat *pragmaticos, formularios, & leguleios, homines*

Videas enim plerosque ita percitos exclamantes, ut iudex audiat contrarium id esse quod admoneatur, sciatque ille qui pronuntiaturus est, in causa malum quod tacetur. *Quare bonus altercator vitio iracundia careat.* Nullus enim rationi magis obstat affectus, & fert extra causam, & plerunque deformia convitia facere ac mereri cogit, & ipsos nonnunquam iudices <sup>1</sup> incitat. *Melior moderatio, ac nonnunquam etiam patientia.* Neque enim refutanda tantum quæ è contrario dicuntur, sed contemnenda, elevanda, ridenda sunt: nec usquam plus loci reperit *urbanitas*: odium mordet & pudor: contra turbantes audendum, impudentiæ fortiter resistendum. Sunt enim quidam <sup>2</sup> præduri in hoc oris, ut obstrepant ingenti clamore, & medios sermones intercipient, & omnia tumultu confundant: quos ut non imitari, sic acriter propulsare oportebit: & ipsorum improbitas retundenda: & iudices vel præfidentes magistratus appellandi frequenter, ut loquendi vices serventur. Nam est res animi jacentis, & mollis supra modum frontis, fallitque plerunque, quod *probitas* vocatur, quæ est imbecillitas. <sup>3</sup> Valet autem in altercatione plurimum *acumen*: quod sine dubio ex arte non venit. *natura enim non docetur: arte tamen adjuvatur.* In qua præcipuum est semper id in oculis habere, de quo quæritur, & quod volumus efficere: quia propositum tenentes in rixam non ibimus: <sup>4</sup> nec causæ debita tempora,

conviventes  
homines peritos rationis & consuetudinis forensis, qui patronis & altercatoribus jus suggerunt. *Idem.*

<sup>1</sup> *Incitat.*] *Inrigit.* Pass.

<sup>2</sup> *Præduri in hoc oris.*] Appellat *os prædurum* summam impudentiam & inverecundiam. Contrarium mox subnectet: nam *mollem* usurpabit *frontem* pro reverentibus & verecundis: ratio est, quia in vultu & in fronte antiqui *pudorem* & *impudentiam*, posuerunt. *Turnebus.*

<sup>3</sup> *Valet autem.*] Quoniam in *altercatione* vel omnia dicuntur ex tempore, vel pleraque, perspicacitate ingenii &

acumine imprimis est opus, quæ virtus efficit ut momento argumenta & probationes excogitare possimus, aut argumentorum solutiones. hæc virtus ab Aristotelis interprete *solertia* vocatur, quæ est in prompta medi excogitatione, eamque requirit à demonstratore. *Idem.*

<sup>4</sup> *Nec causæ debita tempora, &c.*] Alludit ad id quod olim actoribus præstituebatur certum spacium in causis agendis. sic in *causa Miloniana* actori datæ sunt *horæ duæ*, patrono vero *tres*: quod forte valebat etiam in *altercatione*. *Idem.*

x *Inopi-*

convitiando conteremus, gaudebimusque si hoc adversarius facit. Omnia tempora fere parata sunt meditati diligenter quæ aut ex adverso dici, aut responderi à nobis possint. Nonnunquam tamen dici solet hoc quoque esse artis genus, ut quædam in actione dissimulata, subito in altercando proferantur: & <sup>1</sup> inopinatis eruptionibus, & ex insidiis citissimo facto simillimum. Id autem tum faciendum, cum est aliquid cui responderi non statim possit: potuerat autem, si tempus ad disponendum fuisset. Nam quod fideliter firmum est, à primis statim actionibus arripere optimum est, quo sæpius diutiusque dicatur. Illud vix saltem præcipiendum videtur, ne turbidus & clamorosus tantum sit altercator, & quales fere sunt qui literas nesciunt. Nam improbitas licet adversario molesta sit, judici invisa est. *Nocet etiam diu pugnare in iis quæ obtinere non possis. Nam ubi vinci necesse est, expedit cedere:* quia sive plura sunt de quibus quæritur, facilius erit in cæteris fides: sive unum, mitior solet irrogari pœna verecundiæ. Nam culpam præsertim deprehensam pertinaciter tueri, culpa altera est. <sup>2</sup> Dum stat acies, multi in re consilii atque artis est, ut errantem adversarium trahas, & ire quam longissime cogas, ut vana interim spe exultet. Ideo quædam bene dissimulantur instrumenta. Instant enim, <sup>3</sup> & sæpe discrimen omne committunt, quod deesse nobis putant, & faciunt probationibus nostris auctoritatem postulando. Expedit etiam dare aliquid adversario, quod pro se putet: quod apprehendens, majus aliquid cogatur dimittere. Duas interim res proponere, quarum utramlibet male sit electurus: quod in alter-

catione

<sup>1</sup> *Inopinatis eruptionibus.] Metaphora ducta est ab oppidanis obsessis, qui nonnunquam manu facta ex oppido erumpunt, hostesque inopinantes adoriuntur. Idem.*

<sup>2</sup> *Dum stat acies.] Metaphora est ducta à re militari, cum utrinque acerrime*

decertatur, victoria neutram in partem inclinante. Idem.

<sup>3</sup> *Et sæpe discrimen omne.] Sic appellatur rem totam in summum periculum adducere: ut cum dicit adversarius sese non recusare quin ipse causa cadat, si tu proferre aliquod instrumentum possis. Idem.*

catione fit potentius, quam in actione: quia in illa nobis ipsi respondemus, in hac adversarium quasi confessum tenemus. Est in primis acuti, videre quo iudex dicto moveatur, quid respuat: quod ex vultu sæpissime, & aliquando etiam dicto aliquo factove ejus deprehenditur. Et instare proficientibus: & ab iis quæ non adjuvant, quam mollissime pedem oportet referre. Faciunt hoc medici quoque, ut remedia perinde perseverent adhibere, vel desinant, ut illa recipi vel respui vident. <sup>1</sup> Nonnunquam si rem evolvere propositam facile non sit, inferenda est alia quæstio: atque in eam, si fieri potest, iudex avocandus. Quid enim cum respondere non possis, agendum est, nisi ut aliud invenias, cui adversarius respondere non possit? In plerisque iudex est avocandus, ut dixi, <sup>2</sup> qui circa testes est locus, & personis modo distat, quod hinc patronorum inter se certamen, illic pugna inter testem & patronum. Exercitatio vero hujus rei longe facilior. Nam est utilissimum, frequenter cum aliquo qui sit studiorum eorundem, sumere materiam vel veræ vel etiam fictæ controversiæ, & diversas partes altercationis modo tueri: quod idem etiam in simplici genere quæstionum fieri potest. Ne illud quidem ignorare advocatum volo, quo quæque ordine probatio fit apud iudices preferenda: cujus rei eadem in argumentis ratio est, ut potentissima prima & summa ponantur. Illa enim ad credendum præparant iudicem, hæc ad pronunciandum.

<sup>1</sup> Nonnunquam si rem.] Hæc est solutio de qua sæpenumero diximus, quæ fit per compensationem, cum aliquid non solvimus, sed aliud objicimus. Idem.

<sup>2</sup> Qui circa testes est locus.] Nam dicitur lib. 5. cap. de testimoniis, sæpenumero testem esse extra causam avocandum. Idem.

## C A P. V.

## De iudicio &amp; consilio.

**H**is pro nostra facultate tractatis, non dubitarem transire protinus ad *dispositionem*, quæ ordine ipso sequitur: nisi

**E**loquentia maxime pendet à *prudencia*, cujus partes sunt *iudicium* & *consilium*: quæ quanquam finitima sunt, hoc tamen differunt, quod *iudicium* est in

nisi vereretur, ne quoniam fuerunt qui *judicium inventioni* sub-  
 jungerent, præterisse hunc locum quibusdam videretur, qui  
 mea quidem opinione adeo partibus operis hujus omnibus  
 connexus ac mistus est, ut ne à sententiis quidem aut verbis  
 saltem singulis possit separari: <sup>1</sup> nec magis arte traditur,  
 quam gustus aut odor. Ideoque nos quid in quaque re se-  
 quendum cavendumque sit, docebimus, ut ad ea *judicium*  
 dirigatur. *Præcipuum* igitur, *ne quod effici non potest, aggre-*  
*dianur*: ut contraria vitemus, & communia: ne quid in  
 eloquendo corruptum obscurumque sit: referatur oportet  
 ad sensus, qui non docentur. Nec multum à *judicio* credo  
 distare *consilium*, nisi quod illud ostendentibus se rebus ad-  
 hibetur, hoc latentibus, & aut omnino nondum repertis,  
 aut dubiis: & quod *judicium* frequentissime certum est: *con-*  
*silium* vero est ratio quædam alte petita, & plerumque plura  
 perpendens & comparans, habensque in se & inventio-  
 nem, & *judicationem*. <sup>2</sup> Sed ne hæc quidem præcepta in  
 universum spectanda sunt: nam ex re sumitur, cui locus  
 ante actionem est frequenter. Nam Cicero summo consi-  
 lio videtur <sup>3</sup> in Verrem vel contrahere tempora dicendi ma-  
 luisse, quam in eum annum, quo erat Quin. Hortensius con-  
 sul futurus, incidere. Et in ipsis actionibus primum ac po-  
 tentissimum obtinet locum. nam quid dicendum, quid ta-  
 cendum, quid diffitendum sit, exigere, consilii est: ne-  
 gare sit satius, an defendere: ubi proœmio utendum, &  
 quali: narrandumne & quomodo: jure prius pugnandum,

an

in rebus inventu facilioribus, & quasi  
 se ostendentibus: *consilium* in occultis,  
 retrusioribus, & dubiis. De quo vide  
 Cic. in Orat. ad Brutum. & Eras. in Ec-  
 clef. lib. 1. Turneb.

<sup>1</sup> Nec magis arte traditur, &c.] Ju-  
 dicitum certe pendet à naturali oratoris  
 ingenio, & à rerum personarumque  
 circumstantiis. Idem.

<sup>2</sup> Sed ne hæc quidem.] Significat in  
 consilio & *judicio* non satis esse univerſa-

les præceptiones, cum subinde pro  
 ratione circumstantiarum variantur.  
 Idem.

<sup>3</sup> In Verrem vel contrahere tempora.]  
 Agebat Verres omni ratione, ut causa  
 differretur usque post Calendas Janua-  
 rias, cum jam Hortensius Verres patro-  
 nus magistratum inisset. quod cum in-  
 telligeret Cicero, perpetuam orationem  
 omisit, & altercatione duntaxat uti vo-  
 luit. Idem.

11

1 Idem



an æquo: quid sit ordo utilissimus: tum omnes colores, aspere an leniter, an etiam submisse loqui expediat. Sed hæc quoque ut quisque passus est locus, monuimus: idemque in reliqua parte faciemus. pauca tamen exempli gratia ponam: quibus manifestius appareat quid sit quod demonstrari posse præceptis non arbitror. Laudatur consilium Demosthenis, quod cum suaderet bellum Atheniensibus parum id prospere expertis, nihil adhuc factum esse ratione monstrat: poterat enim emendari negligentia. At si nihil esset erratum, melioris in posterum spei non erat ratio. <sup>1</sup> Idem cum offensam vereretur si objurgaret populi segnitiam: in asserenda libertate reipublicæ, majorum laude uti maluit, qui eam fortissime administrassent. Nam & faciles habuit aures, & natura sequebatur ut meliora probanteis pejorum pœniteret. Ciceronis quidem vel una pro Cluentio quamlibet multis exemplis suffecerit oratio. Nam quod in eo consilium maxime mirer? *primamne expositionem, quæ matri, cujus filium premebat auctoritas, abstulit fidem? an quod idem corrupti iudicii crimen transferre in adversarium maluit quam negare propter inveteratam (ut ipse dicit) infamiam? An quod in re invidiosa, legis auxilio novissime est usus?* quo genere defensionis etiam offendisset nondum præmollitas iudicum mentes: an quod seipsum invito Cluentio facere testatus est? Quid pro Milone? *quod non ante narravit, quam præiudiciis omnibus reum liberaret? quod insidiarum invidiam in Clodium vertit?* quanquam re vera fuerat pugna fortuita: quod factum & laudavit: & tamen *voluntatem Milonis removit? quod illi preces non dedit, & in earum locum ipse successit?* Infinitum est enumerare, ut *Cotta detraxerit auctoritatem: ut pro Ligario se opposuerit: Cornelium <sup>2</sup> ipsa confessionis fiducia eripuerit.* Illud dicere fatis habeo, nihil esse non modo in orando, sed

in

<sup>1</sup> Idem cum offensam.] Hæc sumpta sunt ex Dionysio Halicarnasseo cap. de figuratis causis. Idem.

<sup>2</sup> Ipsa confessionis fiducia.] Nam confessus est Cornelium in concione codicem legisse, non ut legem perferret, sed ut recognosceret. Idem.

Totus

*in omni vita, prius consilio: frustra que sine eo tradi ceteras artes, plusque vel sine doctrina prudentiam, quam sine prudentia facere doctrinam. Aptare etiam orationem locis, temporibus, personis, esse ejusdem virtutis. Sed hinc quia latius fusus est locus, mistusque cum elocutione, tractabitur cum præcipere de apte dicendo cœperimus.*

Ii 2 M. FAB.